AD PRAEMIORVM
A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
PVBLICAM RENVNTIATIONEM
QVAE FIET DIE IX. MENSIS IVNII A. MDCCCCIX

HORA XII

HVIVS ACADEMIAE CIVES

ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT

INVITANT

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR ET SENATVS

DE CICERONIS TUSCULANIS DISPUTATIONIBUS

SCRIPSIT

M. POHLENZ

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

WILH. FR. KAESTNER.

I

De compositione libri primi.

Libro primo Tusculanarum disputationum Cicero id agit, ut nullo modo mortem malum esse posse ostendat. Rem autem ita instituit, ut priore parte (26—81) animas immortales esse postque discessum a corpore beatam vitam degere probet, altera (82—111) ne si illae intereant quidem mortem malum esse demonstret. Hanc dispositionem unde sumpserit, dubium non est. Nam ex quo Socrates Platonicus iudicibus exposuit mortem sibi malum non videri, cum aut interitus esset sensum auferens aut migratio in meliorem locum (Apol. 40 c sqq.), ii qui vel alios vel ipsos consolari volebant, hac divisione uti non desierunt. Nec tamen omnibus hanc argumentandi rationem pariter placuisse consentaneum est. Apta erat oratori, qui in funere publico verba faciebat (cf. Hyperidis epitaphii epilogum ap. Stob. flor. 124, 36 p. 94 Blaß), apta epistularum auctoribus, qui amicos paucis philosophatos consolari volebant [1]), apta philosophis, qui consulto aut ex diversis disciplinis quae apta viderentur eligebant aut probabilia tantum sequebantur [2]). Contra dogmaticorum philosophorum, qui remanere animas aut docebant aut negabant, non intererat adversariorum doctrinam respicere, nisi forte id ipsum spectabant, ut multitudini imperitiori mortis terrorem vanum esse persuaderent [3]). Quisquis autem hac dispositione utebatur, ita agere debebat, ut et immortalitatem et interitum animarum per se credi posse statueret vel certe in praesens sibi sumeret. Nam si alterum divisionis membrum solum

De dispositione totius libri.

1) cf. Ciceronis epistulam ad Titium V, 16, 4 necnon Sen. ad Pol. 9, ep. 24, 18.

2) Quamquam Academicis vel ea opinio qua mors malum non esse credebatur probabilis tantum videri poterat, non certa.

3) Crantorem hac dispositione usum non esse appendice demonstrabo. Plutarchus in epistula, qua uxorem suam consolatur, hanc argumentationem expressis verbis abicit (c. 10), at π. εὐθ. p. 476 b admittit. — Apud Ciceronem ipsum occurrit etiam in Legibus (fr. 1) et in Catone § 74.

verum esse contendebat argumentisque confirmabot, tollebatur illud aut — aut, supervacaneum vel potius ineptum erat alterius membri rationem habere.

Id quod Ciceronem non fugit. Accepit enim dispositionem, quam aptissimam esse iudicavit, qua mortem malum non esse demonstraretur; cum vero ipse simul immortales esse animas probare vellet, eam deflectendam esse cognovit. Itaque non in aequa lance ponit immortalitatem et interitum, sed illam solam sibi proponit probandam, huius eo tantum consilio rationem habet, ut receptaculum aperiat iis quibus argumenta pro immortalitate prolata satis firma visa non sint. Nec tamen hoc modo omnes scopulos vitavit. Non enim modo tota priore parte id efficitur, ut altera supervacanea esse videatur, praesertim cum acerbissime vituperentur qui interire animas credunt (71 et 48.9), sed etiam in altera parte occurrunt, quibus Cicero sua ipse argumenta refellat. Velut § 31 sqq. optimo cuique animas immortales videri inde concluditur, quod curant quae post mortem futura sint et spe gloriae adducti vitam profundunt. At § 91 clamat '*licet etiam mortalem esse animum iudicantem aeterna moliri*', cumque in § 35 haec concluserit: *veri simile est, cum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum sit habiturus,* § 91 nihil obstare dicit, quominus sapiens *posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere.* Minime miraremur talia, si Academicorum more Cicero hic proferret, quae pro re et contra rem dici possent. Sed huius libri consilio ea adversari non est quod dicam.

Praeterea nonne ea ipsa re quod in altera parte interitui animarum prospicitur, prioris argumentationis vis frangitur ac debilitatur? Libentissime legimus, quae Cicero § 56 sqq. de divina animae natura profert facileque etiam pateremur § 44 sqq. fervidissima oratione nos ad sedes aerias beatarum animarum abripi, si Daedalum illum, qui ducem se profitetur, ipsum sua arte confidere sciremus. Sed cum eum paulo post haesitantem dubitantem refugium aliquod circumspectantem videamus, ipsine terram relinquere audebimus?

Cicero qua re commotus sit, ut ita rem institueret, § 111 satis aperte ostendit. Non Academicos nunc sequitur, qui semper in utramque partem disserendum esse putant, sed pater morte dilectissimae filiae afflictus loquitur qui immortales esse animas tam firmiter sibi non persuasit, ut altero solacio carere possit. At qui priorem partem mente concepit, qui non modo argumentis legentes ad suum sententiam perducere volebat sed etiam affectus eorum desideriumque beatioris vitae movere studebat, meliora sane atque

certiora habebat, quam ut eos respiceret, qui „*praeclarum nescio quid adepti sunt quod didicerunt se, cum tempus mortis venisset, totos esse perituros* (49)“. Si quicquam, hoc certum est Ciceronem in priore parte libri vestigia eius philosophi premere, qui immortalitatem animarum probare atque stabilire veluerit, alteram autem partem ex materia Consolationis conscribendae causa congesta adnexuisse. Erravit ergo Petrus Corssen, qui utramque libri partem Ciceronem eidem auctori debere sibi persuasit (Mus. Rhen. 36) recteque ei oblocutus est Schmekel Phil. d. mittl. Stoa p. 147.

De compositione prioris partis.

Posidonio Ciceronem prioris disputationis summam debere et Corssen [1]) et Schmekel tam firmis rationibus probaverunt, ut acta agere mihi viderer, si de hac re accuratius dicerem. De compositione autem huius partis nonnulla addenda sunt. Ac primum quidem quae ea contineantur, hac tabula illustrabo:

I §§ 26—35 Animas post mortem remanere et antiquitas persuasum habebat et nunc est consensus omnium populorum atque optimi cuiusque iudicium (id quod declarat cura temporis post mortem futuri). Natura igitur haec opinio hominibus insita est.

II §§ 36(40)—49 Animae post mortem remanentes non possunt esse non beatae.

III §§ 50—71 Immortales esse animas etiam ratio docet Nam

- a 53—55 anima est principium motus ideoque aeterna (e Platonis Phaedro p. 245 c).
- b 56—70 non ex materia terrena concretam sed divinam eam esse declarant divinae eius facultates, memoria inventio celeritas.
- c 70 b—71 Licet dubitari possit, qualis sit eius natura, certe simplex est neque distrahi vel interire potest (cf. Platonis Phaedonem 78 c sqq.).

Veri autem philosophi iam nunc vitam degunt seiunctam a corpore (72—76). Immortalitas igitur animarum tenenda est, praesertim cum rationes ab adversariis prolatae refelli possint (77—81).

Quid miri habeat haec dispositio, vides. Prima enim et tertia parte immortalitas probatur, atque ita probatur, ut argumenta aptissime inter se respondeant. Secundum enim Stoicos anima rationalis natura cognoscendi facultate praedita est, sed postea

---

1) in dissertatione de Posidonio Rhodio M. Tulli Ciceronis in libro I Tusculanarum disputationum et in Somnio Scipionis auctore. Bonn 1878.

variiis causis in errores deducitur (cf. Stoic. vet. fragm. III 228 sqq.). Proxime igitur ad verum accessisse putandi sunt antiquissimi homines, ex iis vero qui nunc sunt singulos hominibus pluribus erroribus obiectos esse apparet quam totum genus humanum. Eas igitur opiniones quae apud omnes populos valent veri aliquid servasse verisimile est. Cum tamen nullam labem eas traxisse dici non possit, non sufficit his opinionibus natura insitis niti, sed doctrina ratioque accedat necesse est, quae id ipsum agit, ut animum ab omni errore revocet accurateque natura unius cuiusque rei examinata verum cognoscat. — Rectissime igitur Cicero ita progreditur, ut proficiscatur ab opinionibus natura insitis (I), summa vero argumenta, quibus disputatio ad finem perducatur, a ratione repetat (III). Aegre autem ferimus, quod hic sententiarum conexus interrumpitur parte II inculcata.

De §§ 40—49. De qua quamquam difficile est iudicium ferre, cum a Cicerone nimis neglegenter conscripta sit, tantum constat ibi non id agi, ut immortalitas argumentis probetur. Videamus singula: „Persuadent mathematici levia elementa rectis lineis sursum ferri. Sive igitur animalis est anima sive ignea, sublime fertur (40). Nec minus hoc sumendum est, si numerus aut quinta essentia est (41)“. Tum postquam pauca de reliquorum sententiis dixit [1]), Cicero pergit: „Si horum quattuor elementorum est, ex quibus omnia constare dicuntur, ex inflammata anima constare videtur. Itaque superiora capessat necesse est. Ita sive dissipantur animae, procul a terris id evenit, sive permanent, ad caelestes regiones feruntur (42). Accedit quod summa celeritate animus praeditus est. Qui si permanet incorruptus suique similis, necesse est ad sublimem regionem sui similem feratur. Ubi beatam eum vitam degere consentaneum est (43.4).

Hoc igitur discimus: Si animae permanent, beatam vitam

---

1) Attingit Cicero, quae contra reliquos philosophos proferri possint. Ut enim Aristoxeno obicitur harmoniam quae sine intervallis sonorum intellegi non possit non recte ad corporis membra transferri, sic Democriti Epicurique sententia abicitur, quod non demonstrent, quomodo ex atomis sensus mensque oriatur (cf. Plutarchi l. contra Colotem 8—11 al.). Nec minus apte contra eos, qui animam sanguinem vel cerebrum esse putant, disputatur hoc modo eius facultates explicari non posse. Attamen haec omnia tam leviter attinguntur, ut ludere potius adversarios iacentes Cicero quam stantes impugnare videatur. Immortalitatem ipsam autem minime hic probari sed tantum id spectari, ut animas si permaneant ad caelum ferri demonstretur, ex iis quae sequuntur luce clarius apparet. Recte iam Corssen in diss. p. 6 dicit: „Immortalitas animorum sumitur non probatur.“

post mortem degunt. At permanere eas nullo modo probatur[1]). Ut enim non dicam ne id quidem demonstrari e levibus elementis eas constare, Cicero ipse praedicat etiam animas ex inflammata anima constantes aut permanere aut dissipari posse. Cave autem hoc eo consilio ab ipso Cicerone addi putes, ne Academicum eum esse obliviscamur. Nam ex ipsa disputatione nihil aliud effici potest. Quomodo enim inde quod leves animae sunt et sursum feruntur, concludi potest eas non dissipari?

Quodsi hac parte nihil nisi hoc demonstratur: si animae immortales sunt, beatae sunt, male ea dirimuntur pars I et III, quibus immortalitatem probari vidimus. Num igitur hic Cicero disputationem inseruit alium auctorem secutus, qui ipse quoque hoc tantum ostendere volebat: „Si animae mortales sunt, nihil post mortem est mali; sin immortales, beatae sunt?“ At repugnat pulchra illa ardensque descriptio beatae animorum sortis, quae sine dubio debetur philosopho immortalitatis acerrimo propugnatori, repugnat peroratio § 48.9, qua adversarii acerbissime castigantur, repugnat denique necessitudo, quae inter hanc partem et tertiam intercedit. Non enim modo utraque disputatio, totam si spectamus, Posidonii doctrinam sapit, sed etiam singuli loci quam maxime conspirant.

Mirum autem est quod multis quae in II proferuntur e tertia parte demum lux affulget. Velut in § 41 legimus: *Horum igitur aliquid* ⟨*putetur*⟩[2]) *animus, ne tam vegeta mens .. in corde cerebrove .. demersa iaceat.* Quid verba *tam vegeta mens* sibi velint, nemo perspicit nisi qui legit, quae §§ 56—70 de vigore ac sagacitate mentis proferuntur. Celeritas animorum, qua Cicero § 43 in argumentando utitur, ipsa probatur et illustratur § 67 et 70. Quae porro § 44.5 breviter attinguntur, ubi Cicero de cupiditate scientiae dicit animamque non corpus videre audire sentire ait, in clara luce demum ponuntur §§ 56—70. 72. Maximum autem est quod Cicero §§ 42.3 statuit animas sursum elatas aut dissipari aut permanere. Nam dissipationem cogitari tantum posse non vere fieri intellegit, qui e § 71 didicit animas simplicis esse naturae nec dissipari posse. Is igitur qui partem tertiam noverit, cum fiducia animique mo-

---

1) Nam quod Hirzel Untt. p. 356 immortalitatem probari ratione Platonica putat, qua similia cum similibus consociari dicuntur, non modo finem quo tendit Ciceronis disputatio neglegit, sed etiam profert, quae per se apta non sint. Quomodo enim dici potest incorporeas animas ad sui similem naturam *sublime ferri* velut corpora?

2) Vulgo cum deterioribus codicibus (et cum K^2) addunt *est,* sed quomodo hoc loco certa ex iis quae antecedunt concludi possunt?

tione descriptionem beatae post mortem sortis leget (§ 44.5). Quis autem eam curabit, si modo audivit animas etiam interire posse?

Vides iam ni fallor, quo tendat haec argumentatio. Omnes enim difficultates evanescunt, si ponimus partem alteram a Cicerone demum ante tertiam collocatam esse, si Posidonium non ita peroravisse statuimus, ut Panaetium refelleret — id quod scriptor elegantiae studiosus facere omnino non potuit — sed post argumentationem tertiae partis haec addidisse credimus: „Qualis sit natura animae, difficile est diiudicatu nec multum hic nostra interest quaerere [1]). Certe enim natura simplici praedita est, ita ut distrahi non possit (70) [2]) et ex caelesti atque levissima materia constat, ut sursum eam ferri ad cognatas regiones necesse sit. Ubi quin beatam vitam degat, dubitari non potest".

Idem ut statuamus, etiam aliae res suadent. Primum enim nunc optime explicatur quomodo factum sit, ut §§ 41.2 Cicero eos non refutaret, qui terrenam esse originem animarum dicerent — post §§ 56—70 enim hac re supersedere poterat — et ut § 70 iterum de natura animae diceret, de qua iam § 40 sqq. egerat. Deinde §§ 40—49 non suo loco stare etiam inde apparet, quod iis amotis non modo in universum partes I et III bene coalescunt, sed etiam sententiae quam maxime inter se affines sed a disputatione intermissa alienae coniunguntur. Diu enim viri docti mirati sunt, quod Cicero, postquam § 39 Platonem argumentis immortalitatem firmiter probasse summa cum admiratione praedicavit, non eius rationes affert sed Stoicorum doctrinam sequitur, in § 49 autem eodem unde abiit redit. Nec praetereundum est verba paene eadem referri. Ut enim § 40 dixit: *Macte virtute: ego enim ipse cum eodem ipso* [3]) (*sc. Platone*) *non invitus erraverim*, sic § 49: *Nec tamen mihi sane quicquam occurrit, cur non Pythagorae sit et Platonis vera sententia. ut enim rationem Plato nullam adferret, .. ipsa auctoritate me frangeret; tot autem* eqs.

Quam bonus autem conexus sententiarum evadat §§ 40—49

1) Cur putem Posidonium certa hic de animi natura non iudicavisse, postea apparebit.

2) Hoc loco fortasse inserta erat disputatio, qua Panaetius refelleretur.

3) Pronomen *ipse* cum post pronomina *hic ille is iste* poni soleat, quo magis certam hanc rem neque ullam aliam notari appareat, non video, cur *idem ipse* dici non possit. Quamquam autem concedendum est alibi apud Ciceronem haec verba coniuncta non occurrere — nam in or. in Verrem Act. II, 1, 71 *haec eadem ipsa* ferri non potest — certe Augustinus de civ. dei XIX, 21 dixit: *in eisdem ipsis de re publica libris.*

expulsis, hinc velim cognoscas: „Homines permanere animos post mortem natura cognoverant sed falso cum corporibus sub terra vitam agere putabant. Animos enim sine corpore per se ipsos viventis non poterant mente complecti (37) magnique ingenii erat sevocare mentem a sensibus et cogitationem ab consuetudine abducere. Collaudandi igitur sunt philosophi, qui ratione ducti animos hominum solos aeternos esse contenderunt argumentisque probaverunt (38.9)[1]. Quod facere non potuerunt, nisi animi propriam esse naturam seiunctam a corpore intellexissent. Nulla enim alia est causa, cur multis incredibilis animorum videatur aeternitas, nisi quod nequeunt, qualis animus sit vacans corpore, intellegere et cogitatione comprehendere (50). Atque hoc sane difficillimum est cognoscere qualis animus sit, sed esse eum propriamque habere naturam invictis argumentis demonstrari potest (51—3). Natura autem animi cognita aeternitas eius cognoscitur."

Nihil inter § 39 et 50 desideramus, nihil ne inseri quidem potest sine sententiae detrimento. Nec tamen difficile est intellegere, qui factum sit ut Cicero aliena huc transponeret. Posidonium enim ita peroravisse conclusimus, ut divino quodam instinctu inflammatus beatam animarum corpore vacantium sortem describeret acerbissimeque Epicureos vellicaret, qui animas cum corpore interire crederent (44—49). Neutrum Cicero omittere volebat. At recte cognovit scriptor elegantissimus hanc partem, qua *τὰ πάθη τῶν ἀκροατῶν* tantopere moverentur, ita collocari non posse, ut statim sequeretur altera libri pars, qua tamquam arbiter ira et studio vacans sententiae modo impugnatae rationem haberet. Itaque nihil restabat nisi ut eam disputationem, quae maxime posteriori parti adversaretur, in remotiorem locum transferret. Post § 39 autem eam inserendi ansam dederunt §§ 36.7, quibus falsa hominum de sorte mortuorum opinio commemoratur[2].

---

1) Inter Pherecydem, qui primus hanc sententiam protulit, et Platonem, qui rationes attulit, medium locum tenet Pythagoras, qui eam plurimis hominibus persuasit. Tota enim Magna Graecia non modo quae iudicio adhibito apud illum vera esse cognoverat sed etiam quae „ipse dixerat" credebat. Recte igitur in § 38 in verbis *tenuit magnam illam Graeciam cum honore disciplina tum etiam auctoritate* verbum *honore* a correctore codicis Vaticani deletum est. Compara, quae Cicero Nat. deor. I, 10 contra Pythagoreos disputat: *Non enim tam auctores in disputando quam rationis momenta quaerenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum qui se docere profitentur* eqs. Male deteriores libri aut *et disciplina* aut *disciplinae* scripserunt.

2) Cave tamen ex hac necessitudine, quae inter § 37 et § 40—49 intercedit, has suo loco stare concludas. Quid enim facies disputationi, quae intermissa est (§ 38.9)?

De §§ 9—16. Si vera sunt quae disputavimus, Posidonius libello suo animas non modo immortales sed etiam post mortem beatas esse demonstravit. Quod quo consilio fecerit ut cognoscamus, necessarium erit in illam particulam huius libri inquirere, a qua tota disputatio exordium capit, colloquium dico magistri et auditoris, quod in §§ 9—16 legitur. Quod ab interpretibus neglegi solet eam ni fallor ob causam, quod Ciceronem ibi suo Marte agere sibi persuaserunt. Nec tamen argumentis nititur haec opinio nec per se verisimilis est. Cur enim Cicero initio totius libri mortuos si sensu careant miseros non esse demonstrare voluerit, cum de eadem re in posteriore parte acturus esset, minime perspicitur. Priusquam autem certum iudicium feramus, ipsam disputationem examinemus.

Quae in duas partes dividitur. Priore auditor eo deducitur, ut mortuos ipsos miseros non esse concedat. Paulum enim reluctatus § 14 fatetur: *Age iam concedo non esse miseros qui mortui sint, quoniam extorsisti, ut faterer qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse.* Nondum tamen manus dat sed addit: *Quid? qui vivimus, cum moriendum sit, nonne miseri sumus?* Quam sententiam Cicero postquam § 15 extr. fere isdem verbis iteravit, ita refutat, ut demonstret *τὸ ἀποθανεῖν* cum nihil sit nisi transitus ad id tempus, quod malum non esse antea concessum sit, non magis timendum esse quam *τὸ τεθνάναι αὐτό* [1]). Haec disputatio quamquam per se apta est [2]), tamen mira esse debet ei qui transitum in § 14 factum memoria tenet. Nam si Cicero inter se opponere volebat *τὸ τεθνάναι* et *τὸ ἀποθανεῖν*, haec fere verba auditori tribuenda erant: Iam concedo non esse miseros qui mortui sint. Quid? qui moriuntur, nonne miseri sunt? At longe aliud eum interrogantem facit: *Quid? qui* ***vivimus,*** *cum moriendum sit, nonne miseri sumus?* Non igitur morientes sed vivos mortuis se opponere Cicero ipsa collocatione verborum ostendit. Quem transitum ineptissimum esse apparet, cum ad vivos ea disputatio quae sequitur nec minus nec magis pertineat quam ea quae antecessit.

Alterumutrum hic statuendum est: aut mala transitus formula Cicero usus est aut cum illa verba scribebat, non ea eius animo

---

1) Cum igitur discernendum esset inter moriendum et tempus post mortem, in § 15 Cicero dicere non poterat: *quia, si mori etiam mortuis miserum esset ... sempiternum malum haberemus.* Recte *mors* in Vaticano restituit corrector, ut videtur, V^c.

2) cf. Plin. ep. V, 21, 4: *Nihil ista ad mortuum pertinent, sed pertinuerunt, cum moreretur, pertinent ad hos qui supersunt.*

obversabantur quae nunc sequuntur. Neglegenter autem illud *qui vivimus* positum esse facile crederem nisi viderem aptissime hoc loco mortuis vivos opponi potuisse vel potius debuisse. Multo graviora sine dubio auditor magistro obiecisset, si haec protulisset: „Concedo mortuos miseros non esse, cum iam nulli sint. Quid? qui vivimus, nonne ob eam ipsam rem miseri sumus quod tempus instat, quo non erimus? Mors enim, licet mortuis malum non sit, vivis timenda est, quia non esse peius est quam vita, quae certe bonum est. Non timeo igitur, ne mortuus miserias sentiam, sed ne bonis quibus nunc fruor morte priver.“ — Quomodo ei qui talia protulerat occurrendum erat? Aut demonstrandum erat vitam non esse bonum aut mortem non interitum sed mutationem in melius esse argumentis confirmandum erat. Illam viam Hegesias iit, hanc Cicero statim ingreditur, cum § 16 se id moliri dicit, *ut doceat non modo malum non esse sed bonum etiam esse mortem.* Ea igitur interpellatio, quam propter illud *qui vivimus* auditori vindicare mallemus aptissimum transitum praebet ad eam argumentationem, qua immortalitas animarum probatur. At nunc apud Ciceronem transitus omnino desideratur. Cum enim § 15 extr. auditor petiverit ut *ne moriendum quidem esse miserum* disceret, subito praeter expectationem Cicero longe alia maioraque se moliri profitetur [1]). Atque ut hoc donemus, nimis abrupte paulo post auditor haec respondet: *Uberius ista, quaeso. haec enim spinosiora prius ut confitear me cogunt quam ut adsentiar. sed quae sunt ea quae dicis te maiora moliri?* Petit igitur, ut uberius explicentur quae modo audivit, sed priusquam obsequi possit magister petenti, ipse aliud interrogat.

Vidimus igitur et in § 14 et in § 16 non ita bene sententias se excipere, vidimus ea deesse quae post verba *qui vivimus* in § 14 expectamus, vidimus denique disputationem de immortalitate animarum nullo vinculo cum prioribus colligari. Num igitur nimiae audaciae videbitur, si has omnes difficultates una ratione explicare conati erimus? Quid enim, si Cicero haec apud auctorem suum invenit: „Qui sibi persuasit mortem interitum esse hominis, sane magno timore liberatur. Timere enim desinit, ne mortuus moriensve in malo sit. Attamen mortem timebit ob eam ipsam rem, quod ad nihilum nos redigit bonisque privat. Qui metus ut

---

1) § 16 in. vetusti codices nihil praebent nisi hoc: *Iam istuc quidem nihil negotii est.* Recentiores addunt: *sed etiam maiora molior*, sed multo praestare eam lectionem apparet quam V^2 habet: *sed ego maiora molior.* Aptissime enim sic *istuc* et *ego* opponuntur. Cf. partem II huius disputationes.

excutiatur, una tantum via patet: ostendendum est mortem non esse interitum sed transitum ad meliorem vitam“.

Talis disputatio ut peraptum fuit prooemium eius libri, quo immortalitas animorum probaretur, ita mutanda erat ei qui etiam alteram doctrinam qua mors interitus esse putaretur, satisfacere crederet. Non igitur iam mirum est, cur Cicero in § 14 et 16 sententiarum conexum turbaverit.

Nec tamen ipse fortasse his rationibus confiderem, nisi accederet res quae summi momenti esse mihi videtur. Summa enim §§ 9—16 ea est, ut Epicureorum notissima de morte ratiocinatio, quamvis vere conclusa sit, non sufficere ostendatur, ac demonstrari potest non Ciceronem ipsum sed eius auctorem rem ita instituisse.

Atque hoc quidem fusius demonstrare opus non est Ciceronem §§ 9—14 referre illam argumentationem, quam Epicurus cum alibi tum in epistula ad Menoeceum data protulit: *συνέϑιζε δὲ ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν ϑάνατον· ἐπεὶ πᾶν ἀγαϑὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσϑήσει· στέρησις δέ ἐστιν αἰσϑήσεως ὁ ϑάνατος* (p. 60, 15—17 cf. 61, 8 *ὁ ϑάνατος οὔτε πρὸς τοὺς ζῶντας ἐστὶν οὔτε πρὸς τοὺς τετελευτηκότας, ἐπειδήπερ περὶ οὓς μὲν οὐκ ἔστιν οἳ δ' οὐκέτι εἰσίν* [1])). Nec tamen inde efficitur, ut Ciceronem Epicureos secutum esse dicamus. Nam rectam conclusionis formam ab Epicuro adhibitam esse ne adversarii quidem eius negabant. Ambigebatur, num prius *λῆμμα* verum esset, num recte mortem privationem sensus esse posuisset. Cicero autem primo quidem idem sibi sumit, siquidem auditorem § 11 dicentem facit se mortuos nullos esse putare. Sed hanc opinionem quam auditor nullo argumento allato pronuntiat, minime auctoris esse doctrinam sequentia declarant. Quae enim sunt ista maiora quae Cicero § 16 se moliri dicit? Hoc ipsum demonstrare vult falsum esse illud auditoris Epicurique *λῆμμα* quo animi morte interire statuuntur. Atque Epicurus quidem post verba quae supra exscripsi haec addit: *ὅϑεν γνῶσις ὀρϑὴ τοῦ μηϑὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸν ϑάνατον ἀπολαυστὸν ποιεῖ τὸ τῆς ζωῆς ϑνητόν, οὐκ ἄπειρον προστιϑεῖσα χρόνον ἀλλὰ τὸν τῆς ἀϑανασίας ἀφελομένη πόϑον*, at Cicero inde a § 16 nihil agit nisi ut etiam tempus, quod post mortem est, ad nos pertinere doceat [2]) desideriumque immortalitatis moveat. Ac vide, quam vilem Cicero eiusque auctor doctrinam illam esse putet, propter quam Epicurus

---

1) cf. *κ. δ.* 2 Lucr. III, 840 sq. al.

2) Non sine causa Cicero in §§ 31—35 saepius commemorat optimum quemque non dubitare, quin etiam ad eos qui vita cesserint aliquid pertineat et ipse multarum rerum post mortem sensum habiturus sit. *Ὁ ϑάνατος ἔσται πρὸς ἡμᾶς οὐδ' ἀναισϑητήσομεν.*

sibi Lucretiisque deus esse videbatur. Acheruntis enim formidines, quas a se amotas esse Epicurus tantopere gloriabatur, secundum Ciceronem nemo iam est tam excors qui timeat, *neque quicquam negotii est haec poetarum et pictorum portenta convincere* (11) Quam vero disciplinam statim derideat, cum addat: *atqui pleni libri sunt contra ista ipsa disserentium philosophorum*, Seneca testis est qui ep. 24, 18 haec habet: *Non sum tam ineptus, ut Epicuream cantilenam hoc loco persequar et dicam vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rota volvi nec saxum umeris Sisyphi trudi in adversum . . . nemo tam puer est, ut Cerberum timeat eqs* . . [1]). Ridet igitur etiam Cicero Epicureos, qui portas ut nos dicimus apertas effringentes gloriam doctrinae et eloquentiae captant. Qua in re quin Posidonium secutus sit, vix dubitabit, qui in § 48, ubi sine dubio Cicero illius philosophi vestigia premit, haec iterari animadverterit: *Soleo saepe mirari nonnullorum insolentiam philosophorum, qui naturae cognitionem admirantur eiusque inventori et principi gratias exsultantes agunt eumque venerantur ut deum; liberatos enim se per eum dicunt gravissimis dominis, terrore sempiterno et diurno ac nocturno metu. quo terrore? quo metu? quae est anus tam delira quae timeat ista, quae vos videlicet, si physica non didicissetis, timeretis, Acherunsia templa eqs?*

Non suis armis Ciceronem hic contra Epicurum pugnare etiam § 15 declarat, ubi auditorem sententiam Epicuri proferentem Epicharmi versum sequi dicit *„emori nolo sed me esse mortuum nihil aestimo.* Quem non ab ipso Cicerone adpositum esse testis est Sexti Empirici liber primus quo grammaticorum cum adversariis lites refert. Ibi enim Epicurus artis grammaticae contemptor haec audit: *ὁ δὲ Ἐπίκουρος φωρᾶται τὰ κράτιστα τῶν δογμάτων παρὰ ποιητῶν ἀνηρπακώς* (237), quae res cum aliis argumentis tum hoc probatur: *τὸν θάνατον ὅτι οὐδέν ἐστι πρὸς ἡμᾶς, Ἐπίχαρμος αὐτῷ προμεμήνυκεν εἰπὼν „ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι οὔ μοι διαφέρει“*. Epicurei autem § 284 negare non audent fortasse sententiam eam iam apud poetam exstitisse, opponunt autem certe Epicurum demum eam demonstravisse [2]). Licet autem corruptus sit versus qualem Sextus affert,

1) Usener, cum haec verba in fragmentorum Epicureorum collectionem reciperet, recte iam de Ciceronis loco iudicavit p. 228. Senecam non Lucretii versuum III, 972—1023 memorem sua scripsisse, id quod Heinze in Lucretii commentario p. 184 non incredibile esse ait, Ciceronis verba testantur.

2) Haud raro *ὁ πρῶτος εὑρὼν* et *ὁ πρῶτος ἀποδείξας* inter se opponuntur. Quod e mathematicorum disciplina fluxisse suspiceris, si legeris Archimedis verba ex epistula ad Eratosthenem, quam Heiberg nuper edidit cf. Hermae t. XLII p. 245 et 300. Eadem ratione cum Cicero § 38 argumentetur, Bentley recte scripsisse mihi videtur *Pherecydes . . . primus dixit* pro *primum*, quod codices praebent.

tamen eundem Ciceroni obversari apparet. Non igitur Epicureum sed Epicuri irrisorem Cicero sequitur, cum auditorem Epicharmum sequi dicit.

Libelli Posidoniani forma.

Ipsum autem prooemium libelli Posidoniani a Cicerone expressum esse inde apparet, quod nunc sponte nascitur effigies disputationis plenae ac perfectae: „Epicuri de morte doctrina, qua summopere eius asseclae gloriantur, idonea non est qua omni timore homo liberetur. Is demum mortem timere desinit, qui eam non modo non malum sed etiam bonum esse sibi persuasit. Rem autem ita se habere ostendi potest. Nam animas immortales esse non modo opinio est natura omnibus hominibus insita sed etiam ratio declarat. Quae autem post mortem remanent animae, non possunt esse non beatae. Spes igitur immortalitatis, non Epicuri desperatio hominum animos erigit atque sustentat.“

Quantopere haec disputatio Posidonii ingenio conveniat, non est quod moneam. Qua quamquam certum aliquem hominem consolatus esse non videtur, tamen id egit Epicureorum acerrimus adversarius, ut a sua potius doctrina quam ab Epicuri philosophia solacia mortis repetenda esse demonstraret [1]). Optime autem accidit quod tale Posidonii opusculum Ciceroni anno 45 in manibus fuisse aliunde constat. Post ea enim quae Buresch Stud. Lips IX p. 48 et Corssen Mus. Rhen. XXXVI p. 523 disputaverunt, nemo dubitabit, quin e Ciceronis Consolatione fluxerint, quae Hieronymus ep. 60, 5 profert: *„Legimus Crantorem cuius volumen ad confovendum dolorem secutus est Cicero. Platonis Diogenis Clitomachi Carneadis* ***Posidonii ad sedandos luctus opuscula*** *percurrimus qui diversis aetatibus diversorum luctum vel libris vel epistolis minuere sunt*

---

1) Similem disputationem Immisch (Philol. Studien zu Plato I) in Axiocho dialogo deprehendere sibi visus est. Quamquam autem frustra eum docta sua dissertatione operam dedisse, ut Medeae instar ex dilaceratis membris novum melioremque dialogum recoqueret, mihi non minus quam viris doctis Wilamowitz (G. g. A. 1895) et Brinkmann (Mus. Rh. LI) persuasum est, tamen necessitudinem quandam inter Posidonii librum, qualem nos restituimus, et hunc dialogum intercedere apparet. Imprimis conexus sententiarum, quem p. 370 c d invenimus, etiam apud Posidonium fuisse videtur. Quam rem ita explicare non dubito, ut cum Corsseno (Mus. Rh. XXXVI p. 518 sqq.) Posidonium male intellectum in illo dialogo latere statuam. Quod enim Brinkmann credidit verba 370 c *εἰ μή τι θεῖον ὄντως ἐνῆν πνεῦμα τῇ ψυχῇ* a philosopho Platonico proferri potuisse, vellem unum locum attulisset, ubi *πνεῦμα* a veteribus Platonicis de anima incorporea diceretur. — Ceterum ne nimis Axiochi auctorem vituperes, quod diversissima misceat, lege Senecae consolationem ad Marciam scriptam, qui 19, 5 et 25 eodem modo peccat.

conati[1]). Hoc igitur opusculo quin Cicero in libro primo Tusculanarum conscribendo usus sit, non dubito.

Appendix.

De Crantoris libro περὶ πένθους.

Habere sua fata libellos etiam Crantoris Consolatio experta est. Aureolus enim ille liber, quem ad verbum ediscere Tuberonem Panaetius iussit (Cic. Luc. 135), quem a plurimis hominibus lectitatum et exscriptum esse constat, interiit maxime eam ipsam ob causam, quod tantopere placuerat. Nam cum innumerabiles scriberentur eiusdem generis libri sententiaeque Crantoris vel nimis sensui vulgari accommodatae necnon exempla ab eo allata luminaque orationis omnibus iam domi nascerentur, tanti non erat ipsum librum servare, quem propter sermonem parum Atticum in scholis legere non solebant. Eandem autem ab causam licet certissimum sit Crantorea in permultis scriptis nobis servatis latere, tamen difficillimum est librum eius refingere[2]). Tam enim communes erant loci consolatorii, ut nemo esset tam mediocris ingenii, quin etiamsi ipsum Crantoris librum manibus teneret, multa adderet detraheret mutaret. Velut ut Tusculanas ne obliviscar, in altera libri primi parte multa insunt, quae quin ad Crantorem ipsum referenda sint non dubites, at immiscentur, quae postea demum excogitata sint[3]), vereorque ne operam oleumque perdat, si quis quae sint Crantoris ipsius quae in universum consolatorii generis dinoscere conetur.

Nec magnopere equidem doleo, quod nescio, utrum hoc illudve exemplum iam apud Crantorem lectum sit necne. Pluris certe nostra interest quaerere, num forte dispositio totius libri refingi et lineamenta adumbrari possint[4]). Quod fieri posse mihi persuasum est, siquidem is qui consolationem ad Apollonium scripsit — qui

---

1) Non obstat, quod prooemium libri quinti, quocum I, 64 congruit, potius ad Posidonii προτρεπτικούς referendum esse videtur. Laudes enim philosophiae Posidonius plus semel proferre potuit.

2) Conferenda est disputatio, quam Buresch Stud. Lips. tomo IX inseruit.

3) Callimachi versum, quo Cicero I, 93 utitur, a Crantore afferri non potuisse Corssen Mus. Rh. XXXVI, 518 recte exposuit, Buresch p. 40 pessima argumentatione nisus negavit, Schmekel silentio praeterire non debuit. Cf. etiam p. 16 n. 4.

4) Itaque viam Bureschio contrariam ingrediar.

sine dubio Plutarchus non fuit — ut nonnulla fragmenta ex Crantoris consolatione ad verbum exscripsit, sic totum tenorem sententiarum servasse videtur. Non enim casu accidisse potest, quod non modo ab eadem sententia incipit, quae apud Crantorem primum locum habuisse videtur [1]), sed etiam reliqua fragmenta ita per suum librum spargit, ut eodem ordine lecta formam disputationis plenae ac rotundae efficiant. Quam nunc ita reddere conabor, ut consulto plurima quae vel aliunde vel ex ipsius Plutarchi personati libro ad Crantorem referri posse mihi quoque verisimile videatur, secludam.

„Non ignorabam, mi Hippocles, recentes animi dolores consolationem non admittere. Itaque non statim cum filios tibi abreptos esse comperissem, tibi scripsi sed nunc amici esse putabam ea proferre, quae ad mitigandum dolorem valerent [2]). Neque ego is sum, qui dolorem ipsum vituperem. *οὐ γὰρ ἔγωγε συμφέρομαι τοῖς ὑμνοῦσι τὴν ἄγριον καὶ σκληρὰν ἀπάθειαν, ἔξω καὶ τοῦ δυνατοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος οὖσαν* [3]). *μὴ γὰρ νοσοῖμεν, νοσήσασι δὲ παρείη τις αἴσθησις, εἴτ' οὖν τέμνοιτό τι τῶν ἡμετέρων εἴτ' ἀποσπῷτο. τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτ' οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίγνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ· τεθηριῶσθαι γὰρ εἰκὸς ἐκεῖ μὲν σῶμα ἐνταῦθα δὲ ψυχήν* [4]). Non magis autem eos laudo, qui nimis dolori indulgent. Moderandos enim esse affectus et *τὴν μετριοπάθειαν* servandam esse videt, qui naturae humanae memor est [5]). Non enim nuper demum cognitum est caeca mutabilique fortuna hominum vitam regi sapientisque esse neque malis neque bonis in breve tempus datis nimis moveri. Audi Homerum qui *οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο* (σ 130) dixit doloribusque ne indulgeremus monuit, cum soli dei beati essent, homines omnes malis premerentur (Ω 522 sqq.). Audi Hesiodum querentem *πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν πλείη δὲ θάλασσα* (op. 101), audi Pindarum, qui *σκιᾶς ὄναρ* hominem nominat (Pyth. 8, 135) [6])

---

1) cf. adn. 4.

2) Hoc sollemne consolationum prooemium iam a Crantore adhibitum esse si non certum at verisimillimum est (cf. quae dixi in Hermae t. XLI p. 336 n. 1). Nec obstat quod Cicero in libro quo Chrysippum sequitur, huic praeceptum illud tribuit (Tusc. IV, 63).

3) Plut. p. 102 c. Verba Crantoris, etsi postea demum nominatur, ad verbum allata esse, docet Cicero Tu. III, 12.

4) Ab hac sententia etiam Crantorem exorsum esse et per se verisimile est et ea re probatur, quod Cicero quoque Tu. III, 12 eam initio disputationis suae attulit. — Imitatus esse hunc locum iam Epicurus videtur in epistula consolatoria ad Dositheum data fr. 120. Certe hoc verisimilius est quam Crantorem primam libri sententiam ex Epicuri epistula mutuatum esse. Non igitur ultimis vitae annis hic libellum suum composuisse videtur.

5) c. 3. 4.

6) Sententiarum conexum quo iure restituerim fragmento quod statim se-

Ταῦτα γὰρ πᾶσα αὕτη ἡ ἀρχαία φιλοσοφία λέγει τε καὶ παρακελεύεται. ὧν εἰ δή τι ἄλλο μὴ ἀποδεχόμεθα, τό γε πολλαχῇ εἶναι ἐργώδη καὶ δύσκολον τὸν βίον ἄγαν ἀληθές[1]. *καὶ γὰρ εἰ μὴ φύσει τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, ὑπό γ' ἡμῶν εἰς τοῦτ' ἀφῖκται διαφθορᾶς. ἥ τ' ἄδηλος αὕτη τύχη πόρρωθεν ἡμῖν καὶ ἔτ' ἀπ' ἀρχῆς ἠκολούθηκεν οὐδ' ἐφ' ἑνὶ ὑγιεῖ, φυομένοις τε μίγνυταί τις ἐν πᾶσι κακοῦ μοῖρα· τὰ γάρ τοι σπέρματα εὐθὺς θνητὰ ὄντα ταύτης κοινωνεῖ τῆς αἰτίας, ἐξ ἧς ἀφυία μὲν ψυχῆς . . .*[2] *νόσοι τε καὶ κήδεα καὶ μοῖρα θνητῶν ἐκεῖθεν ἡμῖν ἕρπει. — τοῦ δὴ χάριν ἐτραπόμεθα δεῦρο; ἵν' εἰδείημεν ὅτι καινὸν ἀτυχεῖν οὐδὲν ἀνθρώπῳ ἀλλὰ πάντες ταὐτὸ πεπόνθαμεν*[3].

Quae cum ita sint, mors quoque necessaria est ferrique aequo animo deberet, etiamsi malum esset; sed ita non est malum, ut haud raro a dis immortalibus piis hominibus tamquam donum

---

quitur nisus, ipse videas. Versus nonnullos adscripsi, quamquam utrum hi an alii ex iis quos multos Plutarchus c 4—11 affert, apud Crantorem fuerint, nescio. — Cum non sine causa ad veterem philosophiam amicum revocasse Crantor videatur (cf. prima fragmenti sequentis verba), non dubito, quin de fortuna antea ita dicere coeperit, ut eum qui nuper *περὶ πένθους* scripserat, commemoraret, Theophrastum dico, qui in Callisthene suo laudaverat illam sententiam „vitam regit fortuna non sapientia" (Cic. Tu. V, 25). Itaque etiam Theophrasti verba *ἄσκοπος ἡ τύχη* eqs. quae p. 104 d afferuntur, quamquam ad fragmentum quod antecedit vix pertinent, iam in Crantoris libro fuisse videntur. — Etiam Demetrii Phalerei librum *περὶ τύχης* (D. L. V, 81) commemorasse videtur (cf. p. 104 a et R. de Scala Studien des Polybius p. 162 sqq.).

1) Cicero Cons. fr. 17: *Hoc iter vitae tam confragosum putamus tam plenum iniuriarum ac miseriarum atque laborum.*

2) exiderunt haec fere <*ἀρρωστία δὲ σώματος γίγνονται*>. Male Hercher *νόσοι δέ* pro *τε* scripsit.

3) p. 104 c *τούτοις δὲ* (sc. Pindaro aliisque) *ἑπομένως καὶ ὁ Κράντωρ παραμυθούμενος ἐπὶ τῇ τῶν τέκνων τελευτῇ τὸν Ἱπποκλέα φησίν ,ταῦτα κτλ'.* — Ultimum enuntiatum *τοῦ δὴ κτλ.* ab eo scriptum est, qui a digressione ad propositum redit. Aptum igitur est Crantori, qui multis testimoniis allatis concludit malam fortunam omnibus hominibus communem esse; non aptum est Ps. Plutarcho, qui statim nova eiusdem rei testimonia affert. Itaque haec quoque verba Crantori tribui. Theophrasti vero sententia quae sequitur potius antea locum habuisse mihi videtur.

Verba *τὰ γάρ τοι σπέρματα εὐθὺς θνητὰ ὄντα ταύτης κοινωνεῖ τῆς αἰτίας ἐξ ἧς κτλ.* cum scriberet Crantor Timaei commentator, sine dubio discrimen illud memoria tenebat, quod ibi Plato inter *τὴν τοῦ βελτίστου* et *τὴν τῆς ἀνάγκης αἰτίαν* statuerat (cf. imprimis 47 e sqq. 68 e). Alteram autem causam cum fortuna exaequari non mirabitur, qui meminerit etiam a Platone p. 48 a *τὰ διὰ νοῦ δεδημιουργημένα* et *τὸ τῆς πλανωμένης εἶδος αἰτίας* inter se opponi. — Non omnia igitur, quae Crantor in libello suo disputavit, e trivio arrepta erant nec Platonicum se esse omnino oblitus erat.

datum sit. Exemplo sunt Cleobis et Bito, Trophonius et Agamedes, Euthynous Terinaeus[1]. . . .

Quodsi non omnem mortem lugendam esse putas sed doles quod immatura morte tibi erepti sunt filii neque consecutus es fructus quos ex illis capturum te esse speraveras, huic quoque aegritudini remedia parata sunt. Non enim quantum tempus sed quo modo vixerit homo, interest; unde etiam illa opinio nata est eos quos di diligant immaturos mori (17a). Si aeternitatem spectas, brevissima et longissima hominis vita nihil differunt (17b). Porro quisquis moritur, suo tempore moritur, quod ei a dis immortalibus, mundi rectoribus constitutum est (18). Omnino autem considera, utrum tua an mortuorum causa doleas. Si tua causa doles, tui nimis amans es tuaque commoda plus quam decet respicis; sin mortuorum causa, illos in nullo malo esse sed servitio corporis curisque huius vitae, quae fati legibus in certum tempus eis tributa erat, liberatos meliorem iam sortem nanctos esse reputans pio quidem animo memoriam filiorum cole, dolorem vero, cum neque illis neque tibi prosit, plane abicito[2]. Quodsi forte tibi

---

1) Testimonia, quae e Crantoris libro sumpta esse Cicero Tu. I, 113 declarat, leguntur in cap. 14. Inserta igitur sunt in miram illam disputationem, qua mors aut somnus aut migratio aut interitus esse dicitur (12. 3. 5). Nec tamen bene cum antecedentibus cohaerent. Quae enim necessaria erant, ut ostenderetur mortem si migratio esset malum non esse, apte p. 108d sic finiuntur: *ὥστε εἰ καὶ προσέοικε μετάγειν εἰς ἕτερον τόπον ὁ θάνατος, οὐκ ἔστι κακόν· μήποτε γὰρ καὶ τῶν ἀγαθῶν ἀναφαίνηται, καθάπερ ἀπέδειξεν ὁ Πλάτων* (cf. initium capitis). Quae vero sequuntur, ad migrationem omnino non spectant, sed in universum mortem non timendam sed potius expetendam esse docent. Quamobrem valde dubium est, num c 12. 3. 5 Crantori debeantur. Ut tamen ille sic mortem nullo modo malum esse posse ostenderit, ipse sine dubio Platonem secutus animas immortales esse statuit, id quod maxime c 25 declarat. Crantorem ipsum secutus est Cicero, cum in Consolatione similiter immortalitatem animarum defendit (Tu. I, 66). De morte autem et immortalitate Crantorem hoc loco plura disseruisse consentaneum est.

2) De immatura morte disseritur inde a c 16 *νὴ Δί' ἀλλὰ τοὺς πολλοὺς κινεῖ πρὸς τὰ πένθη καὶ τοὺς θρήνους ὁ ἄωρος θάνατος* usque ad c 19 *ἀπαλλαγήσονται τῆς λύπης* (111 e). Sequitur digressio, a qua aperte se revocat c 23 *ἀλλὰ νὴ Δία τινὲς ὑποτυγχάνοντες οὐκ ἐπὶ παντὶ θανάτῳ τὰ πένθη δεῖν οἴονται γίνεσθαι ἀλλ' ἐπὶ τοῖς ἀώροις*. Quae sequuntur in c 23, si sententiam spectas, prolata iam sunt in c 17 b 18, c 24 autem hoc certe loco intrusum esse ob eam rem statuendum est, quod c 25, ubi novum exordium invenitur, aperte ad 19 in. respicit. Utroque enim loco dicitur neque nostra neque mortuorum causa nos dolere debere. Nam quae c 25 legimus: *τὸ γὰρ μὴ δι' αὐτὸν κακῶς πράττειν ὁ . . Κράντωρ φησὶν οὐ μικρὸν εἶναι κούφισμα πρὸς τὰς τύχας*, minime ita interpretanda esse, ut idem valeant ac ‚si quis nullius culpae sibi conscius sit' (Bu-

fingis, quantis bonis illi morte privati sint, noli oblivisci, quanta mala quae impendebant fortasse effugerint, auremque praebe viris sapientibus, qui plura esse vitae mala quam bona optimumque esse homini omnino non nasci aut quam celerrime mori saepe praedicaverunt [1]).

Peroravit Crantor fortasse ita, ut Delphicis praeceptis *γνῶθι σαυτόν* et *μηδὲν ἄγαν* coniunctis Hippoclem semper mortalis condicionis memorem esse neque nimis perturbari rebus humanis iuberet (p. 116cd cf. Buresch Stud. Lips. IX p. 49 sq.).

II

De Tusculanarum codicibus.

De codicibus Tusculanarum, quibus veteres usi sunt.

Ex Tusculanis disputationibus haud pauci loci cum a Lactantio et Augustino tum a grammaticis, imprimis Nonio Charisio [2]) Prisciano, afferuntur. E quibus quamquam multi neglegentius exscripti sunt quam ut in Ciceronis verbis restituendis adhiberi possint [3]), tamen satis magnus numerus locorum relinquitur quos cum nostris codicibus conferre operae pretium sit.

---

resch l. l. p. 32 cf. Ciceronis ep. VI, 3 extr.) declarant verba opposita *τὸ δὲ φιλεῖν τὸν μεταλλάξαντα καὶ στέργειν οὐκ ἐν τῷ λυπεῖν ἑαυτούς ἐστιν κτλ.* Referunt igitur sententiam capitis 19: *τί δ'; οἱ πενθοῦντες τοὺς οὕτως ἀποθανόντας ἑαυτῶν ἕνεκα πενθοῦσιν ἢ τῶν κατοιχομένων*; ubi statim eodem modo atque in c 25 mortuos in nullo malo esse monemur; referunt dispositionem, quae saepissime in consolationibus redit (Cic. Tu. I, 111 Brut. 5 ad fam. V, 16, 4. 5 Sulpicius in Cic. ep. ad fam. IV, 5, 2. 3 Sen. ad Pol. 9 init. Helv. 4 Marc. 12). Haec igitur a Crantore repetenda est ipsaque est testimonio totum conexum capitum 16—19a 25.6 ab eo translatum esse.

1) c 27 *πολλοῖς γὰρ καὶ σοφοῖς ἀνδράσιν, ὥς φησι Κράντωρ, οὐ νῦν ἀλλὰ πάλαι κέκλαυσται τἀνθρώπινα, τιμωρίαν ἡγουμένοις εἶναι τὸν βίον καὶ ἀρχὴν τὸ γενέσθαι ἄνθρωπον συμφορὰν τὴν μεγίστην.* Sequitur Sileni responsum ex Aristotelis Eudemo sumptum, quod etiam Cicero in Consolatione rettulit (fr. 9). Fateor tamen me dubitare, num haec fabula apud Crantorem hoc demum loco prolata sit. Certe sententia *ὡς κρεῖττόν ἐστι τὸ τεθνάναι τοῦ ζῆν* (115 b) iam p. 107 b commemoratur cumque primis c 27 verbis mire concinunt verba p. 104 d *ταῦτα . . ῥᾷδιον καὶ ἄλλων ἀκοῦσαι παλαιῶν καὶ σοφῶν ἀνδρῶν.* Fortasse tamen iam Crantor similia duobus locis habebat.

2) Mirum est quod hic ex altero libro plurimos locos, e reliquis omnibus unum excerpsit.

3) Si exempla vis, inspice Prisciani l. X p. 539, 6 Charisii p. 211, 24 Nonii p. 35 Lact. div. inst. III, 15 etiam quod hic praebet: *quotus quisque philosophus invenitur, .. qui obtemperet ipse sibi et decretis pareat suis?* peius est quam quod codices Tu. II, 11 habent: *decretis suis pareat.* Nam *pareat,* non *suis* sonum habere

Ac primum quidem videmus eos errores qui in codicibus nostris leguntur magna ex parte iam vetustis temporibus ortos esse. Velut Orestis Euripidei primum versum Cicero IV, 63 sine dubio sic vertit:

Neque tam terribilis ulla fando oratio est

sed et Priscianus II p. 426, 7 et Ciceronis codices praebent: *fando ratio.* — IV, 66 in codicibus legitur: *Ut confidere decet timere non decet, sic gaudere decet laetari non decet* idemque apud Nonium p. 444 extat nisi quod ultima verba *sic — non decet* propter homoioteleuton exciderunt. At quattuor εὐπαθείας hic nominari et *cavere* pro *confidere* scribendum esse diu cognitum est. — II, 46 codices vetustissimi [1]) Hadoardi excerpta Charisius p. 224, 3 tradunt: *Hisce ego pluribus nominibus unam rem declarari volo, sed utar, ut quam maxime significem, pluribus.* Sed cum Cicero exponat, non quid facere velit, sed cur utatur pluribus nominibus (cf. *volo*), *utor* quod nonnulli recentes codices habent, praeferendum est — IV, 27 codices ut videtur omnes cum Hadoardi excerptis et Nonio qui et p. 32 et 115 hunc locum affert, haec praebent: *ut sunt alii ad alios morbos procliviores itaque dicimus gravidinosos quosdam torminosos.* Sed Ciceronem non eo dicendi genere usum esse, quo Livius III, 37 dixit: *et iam ne tergo quidem abstinebatur: virgis caedi, alii securi subici,* sed id scripsisse quod ei Beroaldus restituit: *gravidinosos quosdam ⟨quosdam⟩ torminosos* non modo ea res declarat, quod etiam *aliud* hoc loco bis a Cicerone ponitur, sed etiam hi loci docent: V, 38 *Namque alias bestias nantis aquarum incolas esse voluit alias volucres caelo frui libero, serpentis quasdam quasdam esse gradientis* et Nat. deor. II, 121: *pluma alias alias squama videmus obductas.*

Haud pauci extant loci, ubi illi Tusculanarum codices, quibus veteres scriptores usi sunt, mendis laboraverint, quae in nostris desunt [3]). Sed ne tempus teram in rebus quae minoris momenti

---

Cicero voluit. — Nonnumquam dubitationi locus relinquitur. Velut quae Nonius p. 272 affert ex Tu. II, 42: *si est quattuor horum generum, unde omnia constare dicuntur,* praeferenda fortasse sunt codicum collocationi verborum qui habent *horum quattuor g.*, cum etiam § 22 legamus: *quattuor nota illa genera.* Nec displicet *unde,* quod etiam V^2 habet (cf. p. 34), pro codicum *ex quibus.* Attamen magna cautione talibus locis opus est.

1) Liceat in praesentia hoc nomine uti, ut codices s. IX/X scriptos significem. Accuratiora postea dabuntur.

2) sic etiam Hadoardi excerpta, si Schwenkii silentio fides habenda est.

3) I, 5 Augustinus de civ. dei V, 13 et ex eo (cf. Manitium M. Rh. 48, 318). Servatus Lupus nec non Hadoardus (qui tamen *inc.* correxit) praebent: *omnesque*

sint, iam accedo ad genuinas lectiones, quae apud illos inveniuntur, cum in nostris aut omnibus aut vetustissimis libris corruptelae extent. Quorum locorum numerus minor est quam expectaveris. Hi enim fere nominandi sunt. IV, 62 Cicero sine dubio Euripidis verba (ex Orestis v 2) οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος sic vertit: *nec ira caelitum invectum malum* atque hoc legisse videtur Priscianus II p. 426, 8, quamquam codices eius *invictum* habent. In nostris legitur *inventum*. — Lactantius duobus locis verum servavit; eo enim quem modo attuli, II, 11 recte praebet *ipse sibi*, cum nostrorum codicum vetustissimi tradant *ipsi sibi* (div. inst. III, 15) et I, 110: *fidenti animo, si ita res feret, gradietur ad mortem*, (d. i. VII, 10), ubi *refert* GKV[1], *re fert* R, *res feret* V[2 (aut 1)] idemque (vel *res fert*) recentes nonnulli habent. — Apud Nonium p. 161 optime sic leguntur Theophrasti verba ex I, 45: *patritam illam et avitam philosophiam*. Nostri praeter paucos recentiores tradunt *patriam* — II, 45 Epicurus apud eundem p. 92 recte *catus* vocatur non *cautus*, quod verbum nostri codd. praeter duos libros s. XV praebent[1]). —

---

accenduntur ad studia gloria (*gloriae* male Had. Lupus), sed cum ablativis *ira cupiditate* similibus Cicero *incendi* non *accendi* coniungit. Exempla praebet Merguet.

1) Adiectivum *catus* quo verbo Sabinos *acutum* dicere Varro l. l. VII, 46 ait, saepe apud priscos Romanos occurrit. Atque apud Ennium quidem etiam acutum sonum significat, apud Plautum autem et Terentium nonnisi de hominibus eorumque dictis et factis adhibetur. Est autem catus is qui in vita cotidiana quid faciendum sit acute perspicit (Pseud. 681 *bene ubi quoi scimus consilium accidisse, hominem catum eum esse declaramus* cf. Epid. 258). Propius tamen ad callidum quam ad prudentem accedit. Non enim qui doctrina excellit, catus vocatur, sed qui aut insita quadam calliditate — quamobrem saepe de mulieribus hominibusque infimae condicionis profertur (velut Mil. 794 Men. 131. 413 Most. 186 Persa 622 Poen. 131) — aut peritia, quam longus usus peperit, utilia videt. Mirum autem non est, quod haud raro in deteriorem notionem abit, ita ut catus is fere sit, quem nos „durchtrieben, gerissen" nominamus (Poen. 1107 Ter. Andr. 855 nec longe abest Truc. 493). Nec tamen necessario id fieri ea res declarat, quod ab Ennio laudatur „*egregie cordatus homo catus Aelius Sextus* (ann. 331)." Quo versu tamen Ennius a notione, quam antea deprehendimus, non recedit. Non enim modo Varro l. l. VII, 46 *catus* sic explicat: *non ut aiunt sapiens* (Nonius p. 92: *catus pro sapiente*) *sed acutus*, sed accuratius etiam Cicero Sextum sic dictum esse exponit, quod Antonii oratoris instar doctrinam parvi aestimabat, at usu peritiaque callebat (rep. I, 30). Prisca notio etiam posterioribus saeculis servata est. Horatius enim et venatorem exercitatum *catum cervos iaculari* nominat c III, 12, 10 (cf. Apuleium de deo Soratis 17: *Pylius orator eloquio comis experimentis catus* flor. 3 *catus canere*) et Luculli militem (ep. II, 2, 39 *post haec ille catus, quantumvis rusticus;* nos: mit Bauernschlauheit) nec dubitat deum, cuius insitam calliditatem iam prisci vates celebraverant, catum vocare (c I, 10, 3).

Cicero praeter locum supra allatum *cate* in Arateorum v. 304 pro artificiose posuit. Leg. I, 45 postquam ius natura esse pronuntiavit nec magis a multitudinis

III, 2 RG alii cum Hadoardo praebent: *ut opinioni confirmata natura ipsa cedat. Confirmatae* recte offert Nonius p. 416. — Mirus est locus IV, 27, ubi sine dubio legendum est: *ut inter ebrietatem et ebriositatem interest.* Verba *et ebriositatem* omiserunt codices nostri fortasse omnes [1]), omisit etiam Hadoardi liber, sed habent Nonii codices p. 444 praeter optimi libri L manum primam. Quo loco utrum L in eundem erorem ipse inciderit, quo nostri codices laborant, an illa verba postea demum nescio unde illata sint, non diiudicaverim — Maximi denique momenti est, quod III, 11 legis XII tabularum verba in omnibus codicibus sic leguntur: *si furiosus esse incipit.* Nam *escit* non modo ipsius legis formam fuisse sed

---

iudicio pendere quam bona honesta virtutem, haec addit: „*quis prudentem et, ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu sed ex aliqua re externa iudicet?*" *catum* addit, quod hoc verbo magis etiam quam prudentis nomine ἕξις quaedam sentitur, quae ab opinione hominum non pendeat. Verba autem *ut ita dicam* adiunxit, quod calliditatem ad virtutem referre sine cautione nolebat. — Luc. 97 de Epicuro, qui enuntiatum disiunctum: *aut vivet cras Hermarchus aut non vivet* verum esse negat, ne ullam in rerum natura necessitatem esse concedat, hoc dicitur: „*vide quam sit cautus is quem isti tardum putant.*" Hoc certe in codicibus est; quamquam autem cautionis notio per se hoc loco apta esset, tamen Ciceronem aliud voluisse ea res declarat, quod opponitur *tardus.* Nam ut apud Graecos *νωθρός* et *ὀξύς* inter se opponi solent (cf. Platonis Theaet. p. 144 a Aristot. p. 806 b 25 al.), apud Latinos autem *hebes* et *acutus* (cf. Cic. Ac. p. 58, 5 Pl.), sic hic quoque *tardo,* qui ab *hebcte* non multum abest (Ac. 31 *sensus hebetes et tardos*), *acutus* vel potius *catus* opponendus erat.

Tu. II, 45 commemoratur eiusdem Epicuri dictum, quo summus dolor brevis esse contenditur. „*Sed homo catus* (sic Nonius p. 92 s. v. *catus* et Cic. codd. G 4 L 4, reliqui *cautus*) *numquam terminat nec magnitudinis nec diuturnitatis modum.*" Quamquam autem ne hic quidem verbum *cautus* sensu caret, tamen Ciceronem dicere voluisse: „tam callidus est ut adversariorum retia evitet" non modo Luculli locus consimilis docet sed etiam inde apparet, quod sic utroque loco aptissimum de Epicuro profertur iudicium. Notum enim est, quantopere illum reliqui philosophi insectati sint, quod doctrinam respueret (cf. fr. 163. 4 Us.), nec Cicero ei pepercit (cf. de fin. I, 26 n. d. I, 72 al.). Itaque ne eam quidem laudem ei concessit, quam Antistheni tribuit, quem in ep. ad Att. XII, 38, 4 hominem *acutum magis quam eruditum* appellavit. At calliditatem quandam rusticam in eo fuisse non sine irrisione fateri poterat.

Verbum *catus* s. V ineunte inusitatum fuisse Augustinus de gen. ad litt. 12, 18 testatur neque Ausonius aliique ex cotidiano sermone sumpserunt. Mirum est autem, quod multi sibi persuaserunt iam Ciceronis aetate illud ex usu evanuisse. Cur enim Horatius eo ter uti voluit? Raram tamen hanc vocem fuisse nec omnibus placuisse apparet. Ac Cicero quidem certa ratione commotus ea usus est. Sed cur Horatius? Arripuitne verbum, quod in Sabino suo saepius quam in urbe audiverat?

1) quamquam aliquid deesse iam medio aevo senserunt; quare *inter ebrietatem et ebrium* vel similia scripserunt (vide Moseri notam).

etiam a Cicerone scriptum esse ostendit illud *escunt*, quo ipse de legg. III, 9 usus est. Atque dubitari vix potest, quin *escit* apud Nonium p. 443 lateat, licet in eius libris *esset* legatur. In Ciceronis ergo codicibus genuinum verbum glossemate expulsum est.

Quodsi quaerimus, num forte unus pluresve e nostris vetustis codicibus cum veteribus scriptoribus congruere soleant, in libro I et II, e quibus solis omnium vetustorum codicum lectiones notae sunt Dougani editione, tales loci non occurrunt, e reliquis hi examinandi sunt: Nonius p. 493 e l. III, 23 haec affert: *nam ut medici causa morborum*[1]) *curationem esse inventam putant.* Codices nostri et Hadoardus post *morbi*, quod recte praebent, addunt *inventa*, quod verum esse clamant proxima: *sic nos causa aegritudinis reperta medendi facultatem reperiemus.* At in R *inventa* deletum esse adnotat Halm. — IV, 27 G^1 cum Nonio p. 444 in *aliudque est* omittit *que*, quod tamen alio atramento additum est. — Denique mirum quantum veteres librarii vacillaverunt in verbis quibus V, 5 Cicero philosophiam exornat: *O virtutis indagatrix expultrixque vitiorum:* Qui locus propter ipsum verbum *expultrix* a Prisciano in l. VIII p. 371, 10 affertur, sed *excultrix* non modo apud Lactantium III, 13 in parte codicum legitur et apud Apuleium, qui initio libri de mundo hunc locum imitatur, in archetypo omnium codicum fuisse videtur[2]), sed etiam apud Ciceronem iu GR invenitur, in R tamen correctum est. — His ex locis quomodo alter explicandus sit, dubium non est. Cum enim correcturae codicis G aut ab ipso librario aut a correctore aequali profectae sint (cf. quae dixit Seyffert in ed. p. VIII), illud *que* iam in archetypo adnotatum fuisse videtur. Ex eodem autem fonte etiam correcturae codicis R, quamquam de earum aetate non omnino constat, fluxisse putaverim, si quidem aliis rationibus ductus iam Otto Heine in dissertatione de Ciceronis Tusculanis disputationibus Halle 1854 p. 6 probavit GR ex uno archetypo originem ducere, quod variis lectionibus instructum fuisset.

Sed utut res se habet, certe nusquam nostri vetusti codices ita in duos ordines discedunt, ut altera pars cum veteribus scriptoribus contra alteram faciat.

At contra iam vidimus non semel hos vel illos ex recentioribus codicibus cum Nonio aliisve verum praebere. Nec deest locus, ubi interpolationem quam illi offerunt, ad vetera tempora redire

---

1) *verborum* codices.

2) Goldbacheri coniectura *exculptrix* nec sensui sufficit (cf. *indagatrix*) nec libris nititur.

cognoscamus. I,29 legimus in RGKV[1]: *Si vero scrutari vetera .. coner, ipsi illi maiorum gentium di qui habentur hinc nobis profecti in caelum reperientur.* At in Vaticano aliisque ab altera manu *a* ante *nobis* inculcatum est, quod non modo in multis recentibus codicibus sed etiam apud Lactantium div. inst. I, 15, 24 et Augustinum de cons. ev. I, 23, 32 legitur. Quod ne a Cicerone scriptum esse putes, monent hi loci: I, 74 *vetat enim dominans ille in nobis deus iniussu hinc nos suo demigrare* necnon locus consimilis in Somnio Scipionis 13, ubi Africanum pater ‚de excelso et pleno stellarum loco' docet *omnibus qui patriam conservaverint .. certum esse in caelo definitum locum ... civitatum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur.* Cf. etiam Tu I, 103, ubi Platonis verba e Phaedone reddens haec dicit: *Critoni enim nostro non persuasi me hinc avolaturum* et *çum hinc excessero.* — Quid ex his locis concludendum sit, postea videbimus. Nunc ad eos codices, quos saepius iam vetustissimos nominavi, me convertam.

Codicum s. IX/X exaratorum una origo. Initio saeculi IX in maximis bibliothecis Ciceronis libri praeter oratorios et „aenigmata Tullii" nondum extabant (cf. Beckeri Catalogos bibliothecarum antiquos 1—24 et Schwenke Phil. Suppl. V p. 403). Paulatim tamen homines vere humani veterum scriptorum opera conquirere ac legere coeperunt. Ac Tusculanas quidem disputationes fortasse iam Einhart noverat, describendas sibi curavit Servatus Lupus veterum librorum indagator curiosissimus, imitatus est Paschasius Radbertus, inter multos alios libros excerpsit vir non magni ingenii sed plurimae lectionis, Hadoardus presbyter, cuius excerpta amplissima, quae codicis instar nobis sunt, Paulus Schwenke Henrici Narducci copiis usus edidit (Philol. Suppl. V).

Eodem vel proximo saeculo scripti sunt quattuor codices, qui etiamnunc extant, Par. R Gudianus G Vat. V Cameracensis K[1]). Accedit fragmentum Bodleianum, quod Clark Cl. Rev. 1906 p. 122

---

1) De codice K. Roßbach in Philol. a. 1904 rettulit, de codice V Stroebel in Philol. a. 1890. Quae hi codices in ll. III—V praebeant, praeter nonnulla quae Stroebel e V attulit, nondum constat. Librorum I II lectiones Dougan in editione sua quae a 1905 prodiit adposuit. Quem optime de Tusculanis meritum esse etsi non nego, tamen reticendum non est apparatum eius criticum minime sufficere. Ut enim nonnunquam intempestiva diligentia futtilissimas medii aevi interpolationes adponit, ita non modo Hadoardi excerpta plane ignorat Noniique et aliorum veterum scriptorum lectiones raro commemorat, sed etiam quid in vetustis codicibus sit, neglegenter refert. Velut I, 67 sqq. addenda sunt haec: 67 *fortasse quamquam* GRV[1] (= Had., etiam rell.?) 68 *temperationum* GRV[1] *cultam* GR (= Had.) 69 *laetificare* RK (Had.) 70 *non videas ut deum* in textu om. G. eqs. cf. praeterea p. 28 n. 1.

descripsit. Atque hoc quidem brevius est[1]), quam ut certum iudicium proferri possit, reliquos codices non modo eiusdem aetatis esse sed ex eadem fere officina prodisse vel exterior forma clamat. Certe R et V toti *στιχηδὸν* scripti sunt ita ut secundum personarum vices et sententiarum particulas versus discribantur, G quamquam hanc scripturam in prima tantum pagina retinet, tamen easdem particulas etiam postea sive intervallis sive litteris primis maioribus scriptis indicavit. Atque in codicibus GR versiculos plane eosdem esse iam Carolus Halm dixit (in editione Orelliana altera IV p. 207); quanta vero necessitudo inter V et R intercedat, ipse uno exemplo doceam. I, 9 enim non modo personarum verba eodem modo distribuuntur nec modo longius Ciceronis responsum plane eadem ratione in has particulas discribitur: *etquidem* (sic in utroque) *si tibi constare vis* — *semper miseri* | *Nam si solos* — *inmorte* (sic) | *Quoniam* eqs., sed etiam in utroque brevius illud *κῶλον moriendum est enim omnibus*, quamquam propriam particulam non efficit, punctis positis a reliquis separatur ac primi verbi *Malum* prima littera omissa est, ut postea adpingeretur (id quod in V corrector V^c fecit)[2]). — Ne autem putes codicem K, qui solus continuam scripturam praebet, a reliquis recedere, audi et in K et in R libri I et II initia plena extare, at libri III et IV omissa esse, ut postea adpringerentur, tria prima verba, libri V unum: iam tibi persuadebis eum qui codicem K scripsit, qui paulo recentior fuisse videtur quam R (cf. Roßbachium), non alio archetypo usum esse sed sive ut chartae parceret sive ut lacunas vitaret aliud scribendi genus praetulisse. Quod igitur librarius codicis G incohavit, ipse ad finem perduxit.

Idem declarant lectiones. Quod enim de GR Seyffert in editionis p. VII scripsit: „Utrumque librum ex eodem fonte eoque satis integro sed sordibus variis maximeque ex archetypi scriptura continua natis inquinato ductum esse, admirabilis utriusque in eo genere consensus confirmat“, id de omnibus his codicibus GRVK necnon — ut hoc statim addam — de Hadoardi excerptis (H) valet. Praeter errores enim quos supra attuli, ex infinito numero locorum velim hos respicias: II, 13 Muretus Ciceroni restituit *falsumque*

---

1) Continet V, 112—120. De Lambini „vetusto codice“, quem C. Lehmann Berl. phil. W. 1889 col. 1482 deprehendisse sibi visus est, tacere praestat.

2) E codice R hanc paragraphum accuratissime descripsit Ch. Graux Rev. de Phil. II p. 127, codicis V imago photographice depicta mihi praesto erat. — Primas Tusculanarum paragraphos in R sic discribi Halm adnotat, ut versiculi finiantur verbis *revocavi* | *putavi* | *elaborarent* | *legibus* | *disciplina* | *conferenda* | *comparanda*. Idem in V fit, licet plures particulae distinguantur.

illud Acci: *Probae etsi segetes eqs.* VRK praebent *acinprobe* (*acimp.* R *acīp.* K), nec recedit G, nisi quod verba separavit *ac inprobe.* Hadoardus verba *falsumque* — *probae* ut corrupta neglexit. I, 65 RGV¹KH omittunt *quidem* in verbis *ne in deo quidem quicquam* itemque I, 7 corruptelam exhibent *dicere etiam coepit adulescentes*, ubi *docere* recte addunt V² recc. (H deest). I, 101 mirum errorem *semidam* pro *Leonidas* RGK fideliter propagaverunt habetque etiam V, qui tamen lineis infra litteras ductis verbum aut expungendum aut male scriptum sibi videri ostendit. I, 16 verba *sed ego maiora molior* et *nihil est* quae deesse non possunt RGV¹K omiserunt. Taedet multa excribere. Itaque duos tantum locos addo, ex quibus appareat ex exemplari, in quo verba non separata essent, hos codices descriptos esse. I, 27 RGVK praebent: *taminexpiabile*, nisi quod in V ultimum *e* recte in *i* mutatum est (a Vᶜ?). II, 46 R recte offert *quod a tam multis*, sed *a* ante *tam* in maiore litura scriptum est [1]). G habet *quod atatâ* V *quod atata m* K *quodatatā.*

Ultimus locus testimonio esse potest non sine causa nos antea Heinio assensos esse archetypum codicum GR correcturis instructum fuisse statuenti nec dubium est, quin idem in omnibus his codicibus GRVK valeat. Ut enim III, 2 G habet *licetret* R¹ *licet* recte correxit in *liceret* (de VK non constat), sic II, 62 *esse aeque gravis esse* RGVK, sed in R prius, in K posterius *esse* punctis deletum est [2]). — II, 42 *tollerabilem* GR, *tollerabilem* V, cf. I, 111 ubi *intollerabili* RK, sed alterum *l* erasit V [3]), *intolerabili* habet G. — II, 50 *pudens* recte V, *pudens* (r superscr.) RGK — II, 23 *victumque* G *victumque* (n superscr.) RV²K — II, 14 *decus* in *dedecus* mutaverunt RKVᶜ—II, 32 *gravitate* male GH, *gravitate* (i superscr.) RKV² ⁽ᵃᵘᵗ ¹⁾—II, 9 *invenire* R *inveniri* recte G invenire (i superscr.) K(Vʳᵉᶜ)— II, 27 *dicuntur* (u superscr.) RG *ducuntur* VK (verum est *eiciuntur*).

Etsi non nescio me in lubrico hic versari, cum omnes has correcturas a scribis ipsis vel eorum aequalibus profectas esse non constet [4]), tamen nimiae audaciae non erit suspicari eas ex archetypo omnium horum codicum — quod X nominare liceat — fluxisse. Nec minus apparet eas omnes eiusmodi esse, ut ab homine mediocriter docto alio codice non adhibito inveniri potuerint.

Archetypum X. Ipsum autem archetypum X quamquam verba separata non habebat, quominus nimis vetustum fuisse putemus, obstat primum,

---

1) sic Dougan „*quod atatam* GR“ Halm.
2) etiam in V a manu recenti. 3) sec. Dougan.
4) De correcturis Vaticani statim agam.

quod raro cum veteribus scriptoribus conspirat. Deinde haud pauci errores codicibus GRVK communes inde explicandi sunt, quod compendia male intellecta sunt. Velut I, 98 corruptela *iniquorum ventos* (pro *iniquo circumventos*) inde nata esse videtur, quod compendium praepositionis *circum*, quod nunc quoque K ab eadem ut videtur manu suprascriptum servat, perspicuum non erat (correxit V^c). Compluribus locis pro *si* male *sed* scriptum est (II, 2, I, 14)[1]. II, 16 compendio particulae *scilicet* non intellecto *se* scriptum est eodemque modo peccatum est I, 52, ubi post verba *non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum tributum deo* glossema adscriptum erat *scilicet hoc seipsum posse cognoscere.* Compendiose autem cum esset *scilicet* scriptum, librarius archetypi (vel nescioquis ante eum) *sit* legit et glossema tamquam Ciceronis verba propagavit; (quo facto etiam magis hic locus depravatus est praepositione *a* ante *deo* inserta)[2]. Ut autem hoc loco, sic I, 14 ubi pro vera lectione *utar post alio, si invenero melius* RGK exhibent *alios et* (V correctus est), cognoscimus non X demum sed iam illud exemplar ex quo X descriptus est, compendia exhibuisse. Itaque vix errabimus, si non ante s. VI vel VII codicem X exaratum esse statuemus (cf. Dougan p. XXVI). Atque hunc quidem codicem etiam lectiones plane sensu carentes servasse vidimus (*semidam*!), sed etiam si eius originem spectamus, satis integra Ciceronis verba servata esse apparet. Quamquam enim glossemata nonnunquam irrepserunt (praeter I, 52 reminiscere illius *esse incipit* III, 11) nec desunt loci, ubi errores librariorum correcturis sublati esse videantur, tamen certae recensionis vestigia non deprehendimus atque Ciceronis verba, qualia a veteribus scriptoribus afferuntur, comparantes nostrorum codicum memoriam minime peiorem esse fateamur oportet.

Codices recentiores.

Hos igitur codices unius esse stirpis atque originis cognovimus nec ubi discrepant, diu in iudicando haerebis. Multo vero nunc gravior oritur, multo difficilior quaestio, quid de recentioribus codicibus statuendum sit. Hos enim ex eadem stirpe pullulasse facile suspicaberis propter permagnum numerum errorum, qui iis cum RGKVH communes sunt. Praeter locos, quos supra iam commemoravi IV, 62 *inventum* IV, 27 [*et ebriositatem*] III, 11 *esse incipit* I, 52 (glossema!) paucos affero. I, 95 omnes codices verba *iussu tyrannorum*, quae suo loco extant § 96, etiam post *ponamus* exhibent (praeter V, qua de re statim), quamquam non pauci postea

1) utroque loco si e correctura scriptum est in V.

2) *tributum deo scilicet* etiamnunc praebent recentiores nonnulli codices.

errorem correxerunt. I, 62 omnes *institutiones* pro *institiones*, II, 5 *ut huius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant et praeferant in hanc urbem* (V^2 solus: *transferant*, quod verum esse illud *transtulerunt* quod sequitur declarat), II, 33 a te enim malo *discere* (*dicere* recc. nonnulli) pro *discedere* (cf. Epictetum IV, 1, 19). — At afferuntur ex his vel illis codicibus recentioribus haud paucae lectiones, quas genuinas esse statim tibi persuadeas. Quae cum diu pro felicibus posterioris aetatis inventis haberi potuissent, cum nonnisi in codicibus s. XIV et XV legerentur, nuper accessit testis multo antiquior, codex V, cuius correcturae s. X exaratae magna ex parte cum recentibus illis codicibus conspirant.

Correcturae codicis V. Quibus de correcturis quae Stroebel (Philol. 1890) et Dougan rettulerunt cum minime sufficere mihi persuasissem, id imprimis operam dedi, ut de his certiora cognoscerem. Ac primum Georgius Pasquali, quem nuper Georgiae Augustae civem fuisse gaudemus, locos haud paucos meis precibus obsecutus inspexit, tum eius amicus Afredus Magnanelli plenam earum correcturarum, quae in ll. I. II extant, collationem admirabili quadam diligentia harumque rerum peritia in meum usum confecit [1]. Attamen vel nunc haud facile est de correcturis illis iudicium ferre. Nam ut non dicam praeter veteres illas correcturas etiam multo recentiores in hoc codice inveniri [2], ipsae veteres correcturae diversis manibus scriptae sunt quae non semper dinosci possunt. Unde Stroebel dixit librarii et correctoris manus imprimis iis locis non facile distingui, ubi in rasura verba scripta sint. Magnanelli autem plures correctores distinguit, qua de re audias quae mihi scripsit: „Difficillimum profecto est manus codicis Vat. 3246 accurate distinguere; sed correctorum praeterquam quod librarius ipse semet nonnunquam correxit, tres manus discerni possunt, quas V^c V^2 V^3 vocavi [3]. Scribas V^c et V^2 aetate librario ipsi aequales aut paulo recentiores fuisse

---

1) Ut appareat, quot lectiones a Douganio omissae sint, e primis paragraphis hos graviores locos commemoro: I, 1 ad *litteris* adscripsit in margine *vel libris* V^2 (non Panormita, ut Stroebel putavit), *hoc* supra *iudicium* add. V^2 2 *annis*^enim V^2 (?) ad *maior* in mg. adscripsit *aliter minor* 5 post *autem* add. etiam V^1 (a ?) (comm. Stroebel) 8 *nasce* in *nasca* mut. V^2 10 *hi lum* V^1 11 *commoveant* ut 20 *col locavit* V^2 12 *etiam* et 13 *miseros* V^2 vel alia manus eiusdem aetatis. — Quae praeterea graviora sunt, in editione Tusculanarum Heiniana, quam retractandam suscepi, commemorabo.

2) cum Stroebelio has V^3 notabo, licet fortasse compluribus hominibus s. XV debeantur. Huius originis sunt hae interpolationes I, 34 *urnam* 70 *nunc* (post *alias* insertum) 75 *nisi* II, 38 *si quidem*.

3) Haec sigla ipse introduxi pro iis quibus M. usus est, quo propius ad Stroebelium et Dougonium accederem.

litterarum formae docent — V^2 subsecutum esse non uno loco apparet — suntque non pauci loci ubi utrum V^1 ipse an de duobus correctoribus alter correctionem fecerit discerni non possit; sed gravius est quod alter ab altero persaepe dinosci nequit. Atramenti color et formae litterarum non semper sufficiunt ad comparandum et distinguendum .... Pauci loci sunt, ubi manus quae librario simillima est emendavit aut supplevit quae V^1 omisit: verum quia non abest suspicio quin ipsius librarii manus sit, hos locos hoc modo notavi $V^{1\,an\,a?}$. Tertium correctorem longe recentiorem (s XV) V^3 vocari, sed et de hac manu nonnumquam dubitavi utrum una an plures discernendae essent“.

Quodsi naturam harum correcturarum spectamus, V^1 errores V^1.
suos in scribendo commissos saepe correxit. Commemoro unum locum, de quo iam Stroebel p. 56 dixit: I, 40 *sive ipsa natura superiora adpetente sive quod a gravioribus leviora natura repellantur* legitur in GK, *superiora — natura* in margine a manu recenti scripta habet R, *superiora — gravioribus* „fere omnia in rasura scripsit V^1“. Sine dubio igitur verba quae in margine archetypi extabant ad textum pertinere sero vidit. Atque haec quidem archetypi nota ex iis est, quas ad codicem X referendas esse supra conclusi. Facile tamen suspiceris in eo etiam alias fuisse. Velut quod supra iam commemoravi in § 95 verba *iussu tyrannorum* post *ponamus* in uno codice Vaticano omnino deesse quomodo explicari potest, nisi sumimus iam in eius archetypo haec verba deleta esse? Ex iis vero correcturis, quas M. siglo $V^{1\,an\,a?}$ significat, nonnullae sine dubio in X non fuerunt, velut I, 5 in X sine dubio nihil erat nisi *Lepidum Catonem Gracchos*, at in V recte *Carbonis* nomen restitutum est. I, 54 *nec se aliud creabit* X, *ex* quod ante *se* servavit Macrobius (rep. VI, 27), addit $V^{1\,an\,a?}$ cum recentioribus [1]).

Quid autem de V^c et V^2 iudicandum est? Plane similem ho- V^c V^2.
rum correctorum operam fuisse statim vides. Uterque nonnunquam verba a librario per errorem omissa addidit, velut II, 28 V^2 *dolori nec tam quaerendum est do*[*lor* partim in rasura partim in margine addidit, at II, 30 *nisi quod honestum nihil malum*, quae item propter homoearcton exciderunt, supplevisse videtur V^c. Uterque parva vocabula addidit (I, 91 *non modo* ad *non* adscripsit V^c, II, 14 loco plane simili *non* addidit V^2), utrumque et optimas et pessimas lectiones exhibere postea videbimus. Uterque denique plane eadem ratione progressus est. Velut iam supra attigimus locum, ubi glossema *sc. hoc se ipsum posse cognoscere* iam in X inter Ciceronis

1) Utroque loco Stroebel correcturam a V^2 profectam esse dixit.

verba receptum est. V autem non modo cum RGK *sit* pro *sc.* habet, sed verba sic mutavit: . . *nisi divinum esset, non esset hoc praeceptum tributū /// a deo. Sit hoc acrioris cuiusdam animi se ipsū /// posse cognoscere.* Verba *praeceptum — cognoscere* in rasura scripsit V[c]. Eodem vero modo Ciceronis verba glossematis recipiendi causa mutavit V[2] I, 39. Ubi ad verba *Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse et didicisse Pythagorea omnia* in multis recentibus codicibis adscripta sunt haec: *et in ea cum alios multos tum architam timeumque cognovit.* Quae in margine addere non contentus V[2] in ipsius Ciceronis verbis post *ferunt* inseruit *qui*, *venisse* autem in *venit* mutavit et pro *et didicisse* scripsit *edidicisse*[1]), signis denique adpositis notam marginalem post *venit* legendam esse docuit.

Cum autem nusquam alter ex his correctoribus alterius verba correxisse videatur, haud scio an res ita explicanda sit, ut sumamus codicem postquam a librario scriptus esset, statim a duobus viris fortasse eiusdem monasterii retractatum esse, qui correcturas ex eodem fonte haustas adderent. Quorum cum prior nescio qua de causa paucos tantum locos tractavisset, alter eius operam supplevit accurateque suo munere functus in fine libri *contulimus* subscripsit. Quodsi quaerimus, unde illi sua sumpserint, verisimillimum est ex ipsius archetypi margine correcturas illas fluxisse. Certe hoc si statuimus, optime explicatur, qui factum sit, ut iam librarius ipse nonnullos errores codici X correctos praeberet.

Vix autem opus est ostendere correctores V[c] et V[2] non ex suo ingenio sed ex libro hausisse. Declarant hoc non modo ii loci, ubi cum veteribus scriptoribus correcturas congruere videmus (velut I, 29 *hinc* [a] *nobis*) sed etiam illi, ubi corruptae lectiones adscriptae sunt. Velut I, 68 RGHV *antixoona* pro ἀντίχϑονα tradunt, *vel antichona* in margine exhibet V[2] — II, 55 in omnibus codicibus scriptum est: *et hic nimirum est fletus quem duodecim tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt.* Sed Ciceronem cum appareat hic ipsum verbum obsoletum explicare voluisse, recte multi editores Muretum secuti sunt, qui *lessus* (cf. Cic. legg. II, 59. 64) in vetustis codicibus se invenisse dixit. V[2] in margine scripsit *vel pessus.* — II, 2 V[1] cum reliquis codicibus exhibet: *Qui mortem non timet, magnum is sibi praesidium ad beatam vitam comparat.* Quia vero ὁ τὸν ϑάνατον ϑαρρῶν μέγα ἐφόδιον πρὸς τὸ εὖ ζῆν non παρασκευάζεται sed παρεσκεύασται, recte scripsit Ernesti *comparavit* idque latet in correctura

1) hoc certe voluisse videtur. In codice extat ed//dicisse, prius *e* in rasura a V[2] scriptum esse videtur.

V^c: *comparabit.* — Denique maiore nunc iam fiducia Pacuvio reddemus, quod ei Bentley restituit I, 106 (fr. 200 R):

Neu reliquias semesas sireis denudatis ossibus
per terram sanie delibutas foede divexarier.

Nam cum V[1] cum RGK praebeat: *semiassireis*[1]) (nisi quod GK *semiassi reis* R *semi assi reis* scribunt), V[2] in margine adnotat: *vel semensas*[2]).

Non puto obloqueris, si pro correcturis codicis V iam alium codicem substituemus, quem v nominemus. Quaeramus nunc, quae ratio intercedat inter v et recentiores codices nostros. Quos omnes ex codice X fluxisse propter errores, qui eis cum RGVK communes sunt, supra conclusimus. Accedit quod certus ordo recentiorum codicum, qui plane ab X discrepet, constitui non potest, sed modo in his modo in illis bonae lectiones apparent[3]). Non parvi porro momenti est, quod iis locis, ubi codices recentiores inter se ita congruunt, ut a vetustis recedant, nusquam merus librariorum error invenitur, sed lectio quae bonum sensum aut praebeat aut praebere videatur. Non igitur novissimo editori assentiri possum, qui archetypum recentiorum codicum plane diversum fuisse putat ab eo ex quo RGKV derivati sunt, sed hoc fere modo quid rei sit explicem. **Correcturarum codicis V et recentiorum origo.**

Postquam s. IX et X multi codices Tusculanarum scripti sunt, qui omnes ad unum exemplar X redibant, haec textus forma multis libris per proxima saecula propagata est. Praeter hanc vulgatam formam autem etiam altera servata erat. Extabant enim s. IX etiam codices, qui ex alia stirpe Y originem duxerant. Unus ex his erat v, e quo variae lectiones in codicem V vel potius eius archetypum translatae sunt. Alia vero eiusdem stirpis exemplaria usque ad s. XIV vel XV servata et cum codicibus familiae X a variis hominibus collata sunt. Ex duabus igitur familiis, in quas iam **Duplex nostra memoria X et Y.**

---

1) vel *semias sireis.* Supra posterius *e* V[3] scripsit *g.* Vides, quomodo lectio *semiassi regis* nata sit. Bentley scripsit: *semiesas.*

2) Ex his quattuor lectionibus tertiam solam Dougan commemoravit, Stroebel nullam.

1) Quamobrem consulto 'recentiores libros' saepius dixi nec singulos codices nominavi. Quamquam enim ex Dougani apparate critico apparet in nonnullis plures huius generis lectiones inveniri quam in aliis — imprimis W1M12DC P[2]Π[2]S[2] nominandi sunt — tamen saepe in errores deducetur, si quis hos codices unius quasi familiae esse putaverit. Nam quo tempore illi scripti sunt, Ciceronis codices non minus quam Horatii aliorumque inter se exaequatos esse apparet. — Cum Hadoardi excerptis nonnullis locis mirum in modum conspirant Rehdigeranus et Marburgensis (velut I, 61 et 70 easdem lacunas exhibent). Fortasse igitur ex his Hadoardi exemplar refingi potest.

pridem Tusculanarum libri discesserunt, altera integra servata est, alterius partem tantum lectionum habemus.

Quod ita se habere exemplis argumentisque nunc probabo. Supra iam commemoravi I, 29, ubi X recte habet *hinc nobis, a* addit V^2 idemque in *BPΠS* postea insertum est, in aliis in textu legitur. — I, 110 *refert* X, *res feret* habebat Y scripseruntque V^2 (aut V [1]) Π^2 alii, *res fert* alii. — I, 7 *dicere etiam coepit adulescentes* X Had. Ex Y *docere* additum est a V^2 [1]) aliis post *adulescentes*, in W 1 et Ox 8 rectius post *dicere*; in aliis autem *docere etiam coepit* scriptum est. — I, 23 *interibit cum reliquo tempore* ex vulgato errore X Had., *corpore* recte Y (sic V^c in rasura, alii aut *corpore* in textu exhibent aut utrumque verbum habent). — I, 65 *ne in deo quicquam* X, *quidem* ante *quicquam* servavit Y, unde supra lineam addidit V^2, in textu exhibent DC; alii coniecturam exhibent *nec in deo quicquam*, utrumque sic coniungit W 1: *nec in deo quidem quicquam.* — II, 39 *sed nihil vidimus* X. At *vidi minus* restituit V^2 idemque praebent Π^2 O 1, *minus vidimus* G 3 (Verum esse *vidi minus* declarant similes ellipses cf. ep. ad Att. XV, 19,1. XII, 42,1. fam. XIII, 1,5).

Optime tamen, quae ratio inter v et recentes codices intercedat, hi loci declarant. I, 16 Y habebat *quoniam post mortem mali nihil est,* X omisit *nihil est,* quae verba V^2 infra lineam, quae post *mali* desinit [2]), addit, reliqui aut ante *mali* aut postea praebent. Paulo ante X nihil nisi hoc praebebat: *iam istuc quidem nihil negotii est.* Ex Y V^2 recte supplevit *sed ego maiora molior.* Idem in recentiores transiit, sed ita ut *ego* aut omitteretur aut in *etiam* depravaretur [3]). — I, 20 X: *Plato triplicem finxit animum, cuius principatum id est rationem in capite sicut in arce posuit et duas partes separare* (sic KV^1 H, *se parare* RG) *voluit, iram et cupiditatem, quas locis iram in pectore cupiditatem subter praecordia locavit.* Hic *separare* recte in V in *parere* mutatum est (a $V^{2?}$) [4]). Post *locis* aliquid deesse fortasse iam in codicibus stirpis X notatum erat. Itaque alii *suis* alii cum V^2 *disclusit* inseruerunt. Utrum verius sit, facile perspicitur. Nam ut non dicam pronomen *suis*, si idem valere debebat ac *propriis,* ante *locis* non postea ponendum fuisse, nihil aptius est hoc loco quam *disclusit.* Posidonius enim ipse de anima sic iudicavit, ut unam eius substantiam esse diceret singulas vero facultates in singulis corporis partibus ad actionem pervenire sta-

---

1) Utrum *docere* an *decere* scripserit, non dispicitur.

2) falsa Dougan adnotat.

3) cf. quae supra exposui p. 11 n. 1 — Correcturas recentiorum codicum non e V^2 fluxisse et hic locus et multi alii declarant.

4) hoc imago photographica aperte ostendit.

tueret (cf. quae dixi in Ann. Fleck. Suppl. XXIV p. 580). Itaque maxime eius intererat ostendere etiam Platonem in simili sententia fuisse. Ac vide quaeso quomodo haec doctrina a Galeno commemoretur de Hipp. et Platone p. 501 Ml.: *ὁ μὲν οὖν Πλάτων καὶ τοῖς τόποις τοῦ σώματος κεχωρίσθαι νομίζων αὐτὰ καὶ ταῖς οὐσίαις πάμπολυ διαλλάττειν εὐλόγως ... μέρη προσαγορεύει.* Ps. Plutarchus autem *εἰ μέρος τὸ παθητικὸν τῆς ἀνθρώπου ψυχῆς ἢ δύναμις* fortasse Posidonium ipsum impugnat, cum dicit VII p. 12,14 Bern.: *ὅσοι δ' αὖ δύναμιν (τὴν παθητικὴν ἀποδιδόασιν), πρῶτον μὲν ἄτοπον ὅτι τῷ τόπῳ διαχωρίζουσιν αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἀντιδιαιρουμένης αὐτῇ δυνάμεως, τῆς λογικῆς.* Quomodo autem *χωρίζειν* illud vertendum fuerit, Cicero ipse testis est I, 80, ubi de Platone dicit: *irae libidinesque quas is .. semotas a mente et disclusas putat.*

Duobus igitur rivulis memoriam familiae Y ad nostra tempora permanavisse certum est. Quae tamen lectiones inde repetendae sint, haud raro dubitari potest. Atque eas quidem, quae et in V et in recentibus codicibus inveniuntur, iam in Y fuisse plerumque confidenter statuemus. Quid vero iis locis faciendum est, ubi aut V^{2c} aut recentes soli a stirpe X discedunt? Ut autem a recentibus codicibus exordiar, quin codex W 1 cum aliis I, 45 verbum sine dubio genuinum *patritam* et II, 11 rectam formam *ipse sibi* (cf. p. 21) ex eodem fonte hauserit e quo cum V^2 I, 110 *res feret* vel I, 29 *a nobis* (cf. p. 21 et 24) profert, nemo dubitabit. Item I, 37 ubi *consensu* RGV^1 *consensu*^{s} $V^{2?}$ *consensus* alii, *consessus*, quod unice verum est, W 1 alii praebent, genuinum verbum familiae Y deberi apparet. Itaque ne hae quidem correcturae, quae in recentibus solis leguntur, coniectura inventae esse videntur I, 3 *si qui* (XH *sic qui*) 54 *cietur* (*citetur*) 59 *quo* (*quod*) II, 34 ⟨*sive Iuppiter*⟩ [1]) *sive Minos* 57 *quo* (*cum*) al. Nec incredibile est etiam ex interpolationibus, quas recentiores soli praebent, nonnullas iam in Y fuisse, sed talibus locis iudicium cohibere praestat.

Recentiorum correcturae ad Y referendae.

Saepius tamen quam in recentibus libris in V lectiones familiae Y servatas esse facile suspiceris. Facilius enim fieri potuit, ut aut in ipsis codicibus huius familiae proximis saeculis paulatim propriae lectiones vulgatis cederent aut a librariis codicum alterius familiae ex parte tantum reciperentur. Attamen integram huius stirpis memoriam in V servatam non esse luce clarius ex iis locis apparet, quos supra iam commemoravimus, I, 39 et 52. Adnotationes enim illae *et in ea cum alios multos tum architam timeumque cognovit* et *hoc se ipsum posse cognoscere* iam in Y in margine ad-

Correcturarum codicis v natura.

1) in V hoc non est.

scriptae fuisse videntur (altera etiam in X), at in v demum invito Cicerone inter eius verba recepta sunt. Similem audaciam deprehendas I, 89, ubi corruptum nomen *Latina* diu in *Litana* emendatum est. Sed iam antiquitus fuit, cui nomen illud corruptum esse videretur. Cuius interpolationem nescioqua falsa doctrina ortam *hirpini* exhibet V^c^. — I, 10 omnes codices praebent *An tu haec non credis?* at in V primo *ain tu* per errorem scriptum esse videtur, tum pro *haec* interpolatum est *an*, ita ut oriatur haec forma: *Ain tu? an non credis?* — I, 12 minime offensioni sunt, quae codices nostri praebent: *Pompeium, qui tanta gloria sit orbatus*, at V² post *tan* addit *ta dignitate tan* [1]), in fine vero extat *orbatus sit* ita ut *us sit* a V^c^ scriptum sit. — Doctum autem interpolatorem ut I, 89 etiam I, 3 cognoscas. Nam parenthesin *qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius* cum non ad Livium sed ad Ennium cuius nomen antecedit pertinere censeret, in margine adscripsit *minor*. Quamquam hic dubitari potest, num is qui hoc primus adnotavit, verba tradita mutare voluerit [2]). Multa enim glossemata inveniuntur, quae licet a V² tamquam variae lectiones adponantur, tamen ab auctore ipso explicandi tantum causa addita esse videantur. Velut I, 43 ad verba: *caelum hoc, . . . quod et umidum et caliginosum est propter exhalationes terrae* V² adscripsit *per humorem*, I, 116 supra *veste familiari* idem *indutus* [3]), II, 4 *vel crevissent* supra *viguissent*.

His atque talibus locis inter archetypum familiae Y et v alium codicem intercedere statuendum est, qui docti hominis adnotationes et emendationes perpessus sit. Cavendum est tamen, ne propter tales interpolationes reliquis lectionibus quas v solus exhibit, fidem abnegemus. Permulti enim sunt loci, ubi ille solus verum servavit. Quorum nonnullos supra iam attuli (I, 68 *antichona* 106 *semensas* 14 *sed ego maiora molior* II, 2 *comparabit* 55 *pessus*), quibus paucos hic addam [4]). I, 5 *Carbonem* V^1 an a?^ — 7 *Aristoteles, vir summo ingenio scientia copia* V² *scientiae* rell. (cf. quae de Socrate de or. III, 60 Cicero dicit *eloquentia varietate copia princeps*) — 20 *Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse ullum* (sic V^c^, *verum* X) [5]), *numerum dixit esse* cf. Luc. 124 *an ut Xenocrates ⟨nu⟩merus nullo corpore* — 42 fortasse rectum est *quattuor generum, unde omnia*

---

1) Uno tantum substantivo Ciceronem usum esse enuntiata relativa, quae antecedunt et sequuntur, docent.

2) quamquam V² scribit *aliter minor*.

3) sed paulo post *sanguis* fuit iam in Y, nam additur a V² et multis recentibus codicibus.

4) alios iam Stroebel et Dougan congesserunt.

5) *ullum* recte Schiche recepit.

constare dicuntur, quod V^2 solus cum Nonio p. 272 praebet (cf. p. 19 n. 3), cum reliqui exhibeant *ex quibus* — I, 81 *omitto* *dis**simillitudines* V^2 — 104 *et is quidem ⟨eadem⟩ sentiens* V^2 — 116 *Menoeceus non praetermittitur*, *qui item oraculo edito largitus est patriae suum sanguinem*, ubi *quidem* X, *qui item* V^c in litura, *qui* recentiores. — II, 2 *fructus si non tantos*, ubi reliqui *sed* — 28 *tu rogatus a me*, *etiamne maius quam dedecus*, *verbo de sententia destitisti. roga* (sic V^2, *rogo* rell.) *hoc idem Epicurum* eqs. cf. Acad. p. 61, 9 *Academicus . . interrogatus quid ei videatur dubitare se dicet. roga nunc Stoicum* eqs. — III, 3 *cum vero eodem quasi maxumus quidam magister populus ⟨accessit* solus *V*²*⟩ atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo* cf. rep. IV, 9, ubi item antea de poetis dictum est: *ad quos cum accessit clamor et adprobatio populi quasi magni cuiusdam ac sapientis magistri.* — Agmen claudat locus qui vel solus quam bono ex fonte v hauserit declarare potest. III, 41 in codicibus et editionibus sic leguntur Epicuri verba: *Nec equidem habeo quod intellegam bonum illud*, *detrahens eas voluptates quae sapore percipiuntur detrahens eas quae auditu et cantibus detrahens eas etiam quae ex formis percipiuntur oculis*, sed Usener Epic. p. 120, 20 propter § 46 „voluptatis veneriae mentionem librariorum culpa intercidisse“ ratus post alterum *quae* lacunam indicavit. Nunc videmus V^2 in margine post alterum *detrans* (sic V^1 pro *detrahens*) addere: *eas quae rebus percipiuntur venereis detrans* [1]).

Utrum hae lectiones in Y omnes fuerint an fortasse ab illo viro docto, qui nonnulla interpolavit, ex alio libro addita sint, dici non potest. Genuinas eas esse nemo negabit.

Finem totius disputationis ita faciam, ut unum correcturarum genus tractem, quod in V mirum quam saepe invenitur. Saepissime enim verba punctis deleta sunt. Quod quamquam a qua manu factum sit saepe diiudicari nequit, tamen correctorum antiquorum temporibus factum esse pro certo Magnanelli affirmat. Atque haud raro quidem dubitari non potest, quin corrector ea quae non intellexerat temere expulerit. Velut II, 42 *sis* quod post *age* legitur, cum non iam novisset, delevit. — II, 26 *studiose equidem utor nostris poetis*; *sed sicubi illi defecerunt — verti enim multa de Graecis.* Quae ἀποσιώπησις (de qua egi in Hermae tomo XLIV p. 24 n. 1) ut nostris editoribus sic veteribus offensioni fuit. Nostri interpolaverunt *etiam* illi *certe* vel *tamen.* In V expunctum est. — I, 12 in verbis *non dico fortasse etiam quod sentio* adverbium, quod paulo rarius sic usurpatur sed vere latinum est (cf. Ter. Andr. 503 *non satis*

1) non accurate Stroebel p. 61.

me pernosti etiam), deletum est. — Eadem ratione loco difficillimo mederi conatus est II, 26 (Philosophi Athenis versus admiscebant orationi, sed Dionysius) *quasi dictata nullo dilectu nulla elegantia, Philo et proprium nr̄t* (sic GV, *noster* R) *et lecta poemata et loco adiungebat.* Aut hoc X habuisse videtur aut id quod K praebet, in quo post *et* compendium praepositionis pro legitur, deinde *ū* $\overline{nr}$ (*propriū* suprascriptum est). In V audacius quam felicius verba *et proprium* sublata sunt. Nam quamquam de hoc loco haud facile est iudicare, hoc statim apparet duo trimembria hic inter se opponi primumque alterius partis verbum opponi verbis *quasi dictata*, quae magistrum pueris suis versus tamquam solutam orationem nulla elegantiae ratione habita pronuntiantem in memoriam revocant [1]). Itaque dubitari nequit, quin in *nr̄t* lateat compendium, quod non *noster* sed *numerum* vel *numero* explicandum sit. Sed fortasse etiam *proprium* e compendio male soluto natum est. Certe durissimum zeugma oritur, si Ciceronem scripsisse putamus *et proprium numerum* (sc. versibus) *et lecta poemata* (sc. orationi) *et loco adiungebat* nec omnino illud *numerum adiungere* satis placet. Qui vero a libris recedentes scribunt *et proprio numero et lecta poemata et loco adiungebat* non minus duram collocationem verborum efficiunt. Ego cum omnino non videam, quomodo illud *numerum* cum *adiungebat* apte coniungi possit, flagito qualia Ciceronem ipsum de div. II, 117 proferre video: *ut ea non modo cernat multo ante sed etiam numero versuque pronuntiet.* Quid igitur, si putamus Ciceronem scripsisse: *Philo et pronuntiabat numero,* sed olim ab altero *nu* ad alterum scribam aberravisse? Sic certe codicis K scriptura facile nasci potuit [2]).

Sed redeamus ad correcturas codicis V iamque locos nonnullos inspiciamus, ubi recte puncta illa posita sunt. E quibus unum iam p. 9 n. 1 commemoravi I, 38, ubi *cum honore disciplina* recte V praebet. — I, 22 legimus in omnibus codicibus: *cogitare enim et providere et discere et docere et invenire aliquid et tam multa alia meminisse amare odisse* eqs. Sed *alia* recte a correctore codicis V (et nuper a Sorofio) eiectum esse non modo ea res ostendit, quod paria hic antea et postea copulantur, sed etiam quod § 59 sqq. ipsa infinita vis memoriae [3]) advocatur, ut animam divinam esse

1) Non agitur hic de homine qui eas tantum sententias profert quas apud magistrum didicit sed de orationis ornatu; quam ob rem ea non probo, quae Schiche Berl. ph. Woch. 1905 col 1375 protulit.

2) Ad verba *Dionysius quasi dictata nullo dilectu nulla elegantia* facile ex antecedentibus auditur *admiscebat,* nisi ellipsis statuenda est.

3) Platonis ἀνάμνησιν commemoravit Posidonius (cf. 57. 8), sed non ut suum argumentum protulit, cf. 59 init. ac totam de viribus animae disputationem.

demonstretur, cf. § 59 extr. *ita multa meminerunt* — I, 67 in X legebatur: *non valet tantum animus, ut seipsum ipse videat.* At *se* tantum scriptum esse a Cicerone sicut postea dicit *sic animus se non videns alia cernit* variamque lectionem nominativi *ipse* in textum receptam esse vidit Bentley. *Ipsum* expunxit corrector V, non habet Hadoardus.

Summa disputationis.

Iam in eo est, ut summam totius disputationis faciamus. Duplex igitur memoria Tusculanarum est. Altera servata est codice X et iis qui nunc extant libris omnibus, altera continebatur familia Y, cuius nunc exemplaria integra non iam habemus. Huius autem familiae cum ii codices erant, e quibus s. XIV et XV docti homines lectiones in suos libros transtulerunt, tum codex v vel eius archetypum, e quo correcturae quae nunc in V leguntur aut omnes aut magna ex parte fluxerunt. v vero recensionem continebat ab homine docto factam, qui ab interpolationibus minime abstinebat sed idem optimas lectiones sive e sola stirpe Y sive etiam ex aliis libris congesserat. Et optima et pessima apud eum inveniebantur, paleas vero non propagavit.
